R. P. D.

PERGEN

ROMANA DONATIONIS

FRATRUM DE ALDOBRANDINIS

INTER

Illm̃um & Excellm̃um D. D. Azzolinum Malaſpina ex Marchionibus Foſdinovi,

ET

Illm̃os & Excellm̃os DD. Principes D. Laurentium Magnum Comeſtabilem Columna, D. Marcum Antonium, D. Paulum, & alios de Burgheſiis, & D. Andream ab Auria Pamphilii.



Gg

Reſtrictus Facti, & Juris in ſecunda Propoſitione.

23

ROMÆ, Typis Bernabò 1769.

89420

Digitized by Google

Romana Donationis Fratrum de Aldobrandinis.

Stantibus &c.

Dubium = *An ſit locus Tranſmiſſioni; itaut ſit danda Immiſſio, in caſu &c.?*

1 *Rev. Pater.*

BEnè auſpicatam Cauſſam meliori proſequimur animo, optimum expectantes exitum a conſultiſſimo Reverendiſſimorum PP. *Reſcripto*, quod tutam nobis, facilemque ad victoriam aperuit viam. Lecta fuit in Sac. Auditorio poſtulatio *Excellentiſſimi D. Marchionis Don Azzolini Malaſpina* Principalis, quæ magnum ſanè præſeferebat plurimorum Jurium acervum, ex quibus univerſa ferè prædivitis *Aldobrandiniæ* Domus Bona, tanquam certus, agnituſque Nepos, & Hæres *Duciſſæ Mariæ*, quæ præclariſſimæ Aldobrandinorum Familiæ *ultima* ſuperſtes fuit, ſibi meritò vindicabat. Hæc autem omnia Bona denegata ſemel jam fuerant eidem Duciſſæ Mariæ ab unica Deciſione *coram bon.mem.Urſino* Anni 1687., ſed ex ſolo ſuppoſito *vocationis defectu ad Primogenituram*, quam celebris *Donatio* quinque Fratrum de Aldobrandinis pro illorum *Deſcendentibus*, & *Succeſſoribus* continebat.

2 Voluerat igitur Marchio Azzolinus, ut illa abrogata Deciſione, omnia præfata Bona eidem adjudicarentur, quia non omnia ab una proveniebant Primogenitura, à qua excluſa dicebatur illius Auctrix, & Avia Duciſſa Maria, ſed pleraque ex illis, vel à Donatione Duciſſæ *Olympiæ Senioris*, vel à libera *Ducis Petri* hæreditate promanabant: Et quamvis etiam omnia eadem Bona ab una Primogenitura derivarent, neque ad eam vocata foret Duciſſa Maria; nihilo tamen minus, cum in Donatione, à qua ipſa includitur Primogenitura, vocatus *nominatim* fuerit Dux ipſe Petrus Pater, & Auctor ejuſdem Duciſſæ Mariæ; huic proinde, niſi debita videri poſſent impetita Bona vigore Primogenituræ, & ex proprio ad illam vocationis jure; negari tamen haud quaquam poterat, quin vi Donationis, & ex hæreditario *Tranſmiſſionis* titulo debita certò certius eſſent.

Digitized by Google

nientem, *ſi abſque maſculina deſcendentia defeciſſet*; tunc voluerunt omnes ipſi germani Fratres, ut ſuccederet *Hyppolitus*, ſi juxta legem præſentis Donationis habilis ad ſuccedendum foret, *dicto Summario num. primo litt. I.*

6 Verùm *dicto D. Hyppolito non extante, vel habile ad ſuccedendum non exiſtente, & ſine Deſcendentibus Maſculis, ut ſupra decedente*, tunc in ipſis donatis Bonis ſuccederet *Aldobrandinus* ſi ſimiliter juxta præſentem Donationem habilis ad ſuccedendum fuiſſet *eodem Summario num. primo litt. M.* Quod ſi demum iſte inhabilis reperiretur, nec exiſteret, vel ſine deſcendentibus maſculis obiiſſet, tunc ſuccederet in ipſiſmet *donatis Bonis* DON PETRUS JUNIOR EORUM GERMANUS FRATER, *Summario dicto num. 1. litt. O.* In ipſo autem *Petro* finem habuit *ſtipulata Donatio*, nec ei, ſicut cæteris omnibus, ubi non extaret, vel ſine deſcendentibus maſculis decederet, nullus alter ſubſtitutus datus apparet, ſed tamquam *ultimo Donatario* liberè omnia donata Bona relicta ſunt, quæ ad ejus Hæredes, ut juris erat, tranſmitti poſſent; aut ille, poſt præcedentium Donatariorum Fratrum obitum in humanis non eſſet, vel ſine maſculis liberis obiiſſet.

7 Hæc igitur reciproca Donatio fuit, quæ ad ipſos Donantes inſimul, & Donatarios Aldobrandinos Fratres pertinebat, quæque illicò ſuam habuit executionem in ipſo Joanne Georgeo, qui donatorum Bonorum poſſeſſionem nactus eſt. Quo verò ad Filios, & Deſcendentes maſculos eorumdem Fratrum, inſtituta Primogenitura fuit, quæ poſt mortem Joannis Georgei, in illius Filiis, & Deſcendentibus maſculis, ſi quos reliquiſſet, aut alterius Fratris, qui maſculina ſobole non careret, ſuum erat *initium* habitura: Atque ideo per ſeparatum caput, & novam ſtipulationem eadem Bona *poſt mortem ejuſdem D. Joannis Georgei* donantur = *Filio Primogenito ejuſdem Joannis Georgei, ſi ſupererit, ſin autem defecerit, ejuſdem Primogeniti Filio, aut ex eo Nepoti, & aliis Deſcendentibus Primogenitis, uni poſt alium, de Primogenito in Primogenitum, ſervato ſemper gradu, & ordine Primogenituræ* = *eodem Summario num. primo litt. H. & ſeq.*

8 Idemque *primogenialis* ordo adnectitur Filiis maſculis, & Deſcendentibus, immò univerſæ Lineæ *reliquorum Fratrum*, & expreſſa habetur relatio ad id, quod ſupra diſpoſitum fuit de Filiis, & Deſcendentibus D. Joannis Georgei verbis hiſce, videlicet = *Succedat in Caſtris*,

 & Bo-

& Bonis donatis Hyppolitus, & ex eo Filius Nepos, & alii deſcendentes maſculi, durante LINEA *maſculina dicti D. Hyppoliti, ſimiliter de Primogenito in Primogenitum, ſervato gradu, & ordine Primogeniture,* UT SUPRA DE FILIIS, ET DESCENDENTIBUS EIUSDEM D. JOANNIS GEORGEI DISPOSITUM EST *= Summario num. primo lit. L.* Et paulò infra *= Succedat in iiſdem Caſtris, & Bonis, ut ſupra donatis* PETRUS, *& ex eo Filius Nepos, & alii Deſcendentes* DURANTE LINEA *maſculina dicti D. Petri ſimiliter de Primogenito in Primogenitum, prout* SUPERIUS DE LINEIS *dictorum Dominorum Joannis Georgei, & Hyppoliti diſpoſitum eſt = dicto Summario num. primo litt. Q.*

9 Eoque modo condita Primogenitura *tantum* fuit inter Aldobrandinorum Fratrum *Filios, & Deſcendentes* Maſculos, pro qua hæc etiam, quæ notatu digniſſima eſt, ſpecialis emittitur declaratio, videlicet *= Quod ſi in omnibus, & ſingulis Succeſſionibus prænarratis eveniat caſus ſucceſſionis Patrui, & Nepotis unico contextu; tunc, & eo caſu Nepos excludat Patruum*, ut in *Summario num. primo poſt litt. Q.* Verum enim verò in ipſis Filiis maſculis, pro quibus *tantum* erat inſtituta, nec incipere quidem potuit Primogenitura, & ideò penitùs evanuit: Nulli namque Aldobrandinis Fratribus maſculi liberi adnati ſunt; & Joannes Georgeus unicam ſuſcepit Filiam Olympiam, poſt cujus ortum, contracto corporis vitio, ut nobis teſtis eſt *Card. de Luca in diſcurſ. 205. de Fideicomm.*, & ipſa probavit experientia, aliis procreandis filiis inhabilis penitus evaſit. *Hyppolitus* verò Cardinalatus Dignitatem aſſecutus, & *Aldobrandinus* Magnus Prior Hyeroſolimitanus renunciatus, ob emiſſum Caſtitatis votum nec nuptias contrahere, nec Filios ſuſcipere potuerunt, *Summario num. 2. litt. C., & num. 3.* Caruit etiam maſculina ſobole *Dux Petrus*, geminiſque relictis filiabus fœminis MARIA, *& Catharina*, in ipſo ætatis flore acerba morte præreptus eſt, poſtquam paulò ante deceſſerat Cardinalis Sylveſter.

10 Immaturum Fratrum funus inſecutus proximè fuit Magnus Prior Aldobrandinus, & poſt illum juvenis etiam deceſſit Joannes Georgeus. Unicus itaque ſuperſtes fuit *Cardinalis Hyppolitus*: Hic autem, quamvis ex ipſa, quam ſibi dixit lege, pactoque convento cum cæteris Fratribus excluſus jam multò pridem ab ipſa donatione fuerit, ſtatim, ac anno 1621 cælibem vitam elegit; nullius tamen contradictionis vim metuens ab Infantulis

Pu-

Pupillis Filiabus Ducis Petri, quarum etiam Tutor, & Curator erat, omnia donata Bona auferre impunè potuit, ſibique ita addixit, ut paulò poſt decedens de illis quoque teſtari voluerit: & inſtituta Hærede Olympia filia Joannis Georgei cum univerſa ejus progenie, pro miſeris Filiabus Ducis Petri ultimam inanis, & pene vacuæ ſubſtitutionis reliquit tabulam: Et quod magis eſt, in ejus Teſtamento anxiè præcepit = *ut non ſolum ipſa Olympia, ſed Maria quoque, & Catharina teneantur valide cum effectu* PRO SE, ET SUIS HÆREDIBUS, ET SUCCESSORIBUS QUIBUSCUMQUE RENUNCIARE *omni juri, & actioni, quæ ex quavis cauſa prætendere, & habere poſſent ſuper Bonis* DONATIONIS, ET PRIMOGENITURÆ EXCELLENTISSIMÆ DOMUS SUÆ *de Aldobrandinis, ita ut declaret Bona omnia prædicta poſſidere titulo*, ET VIGORE PRÆSENTIS TESTAMENTI, NEC ALITER, NEC ALIO MODO *&c.* = *eodem Summario num.* 12. *litt.* A.

11 Paruit Olympia Teſtatoris præcepto; Cumque nupta jam foret clar. memor. Principi *Paulo Burgheſio*, ex ejus, & Proximiorum conſenſu ſolemniter = *In ipſius præcepti exequutionem* RENUNCIAVIT PRO SE, SUISQUE HÆREDIBUS, ET SUCCESSORIBUS OMNI JURI, ET ACTIONI; *quam ex quavis cauſa etiam neceſſaria, & in ſpecie, & in individuo exprimenda prætendere, & habere poſſet* SUPER BONIS PRIMOGENITURÆ, *& declaravit bona omnia tempore obitus Cardinalis ejus Patrui relicta* POSSIDERE, ET VELLE ILLORUM POSSESSIONEM CONTINUARE *titulo, & vigore* SUPRADICTI TESTAMENTI, ET NON ALITER ALIAS, NEC ALIO MODO = , *& ut fuſius Summario dicto num.* 13. *litter.* A.

12 Non ita tamen renunciavit, declaravitque *Duciſſa Maria*; quin immo, tanquam defunctæ quoque Sororis hæres contra ipſam Olympiam, atque ejus omnes Filios, quos etiam ex ſecundo Viro clar. memor. Principe *Camillo Pamphilio* dudum ſuſceperat, omnia Jura, & actiones omnes experiri voluit, quas ſibi competere dignoſcebat ſuper Bonis dictæ Donationis, & Primogenituræ Excellentiſſimæ Familiæ ſuæ de Aldobrandinis; & primum quidem, tanquam ſuæ met ipſius Domus *ultima* ſuperſtes, bona eadem ſibi repetebat ex proprio *vocationis* jure ad illam Primogenituram, quæ ideo inſtituta legitur, *ut Nobiliſſima Aldobrandinorum Familia, & ejus memoria quantum fieri*

 po-

poterat, *& Deo Optimo Maximo placuerit*, *conſervari valuiſſet* = *Summario num.* 1. *litter. R.* At vocationem ipſam denegavit Sacrum Rotæ Tribunal, ex quo Primogenitura pro Filiis Maſculis Fratrum de Aldobrandinis condita tantum fuerit, qui ſicuti penitus defecerunt, ita, & quidem *ante ipſius exordium* defecit eadem Primogenitura, ut per enunciatam *Urſini Deciſionem anni* 1687. exadverſo datam, jam fuit declaratum.

13 Tunc vero in ipſa ab Adverſariis defenſa Primogenituræ *reſolutione* conveniens Duciſſa Maria, exinde aditum ad aliud ſibi aperuit Iudicium, quo *reverſionem* Bonorum urſit, quæ ſua ex parte *Dux Petrus* in ipſam contulerat Primogenituram: Si enim evanuerat Primogenitura, ob quam *Petrus* ſua Bona tribuerat, neceſſe omnino erat, at Bona ad ipſum Petrum reverterentur, tanquam ceſſante *finali cauſa*, ex qua Bona ipſa data jam erant. At Sacrum Auditorium Primogenituram a Donatione *diſtinguens*, quamvis *illam* caducatam putaverit, *Donationem* tamen non adhuc reſolutam judicavit, quia cum eſſet *irrevocabilis*, *& inter vivos*, *ingenio ſuo exigebat*, *ut progreſſiva foret ad ultimi Donatarii hæredes*; *& quemadmodum ulteriores Donatarii*, *vel comprehenſi*, *ſi exturent*, *caperent ex vi comprehenſionis*, *ita hæredes etiam non nominati caperent JURE TRANSMISSO*, *& ſimplici operatione Legis*, ut his ferè verbis loquuntur egregiæ in ea Cauſa editæ Deciſiones, quarum ſumma capita ſunt in noſtro *Summario num.* 19. Ex eaque ratione juſtè fuit judicatum = *eidem Duciſſæ Mariæ nullum jus*, *nullamque actionem competiiſſe*, *& competere RATIONE PRÆTENSÆ REVERSIONIS* = *ut ſunt verba Rejudicatæ Cardinalium Judicum*, *qui de voto Rotæ judicarent*, *Summario num.* 14. *litter. E.*

14 Dum vero nulla Bona dari voluerant Duciſſæ Mariæ *reverſionis jure*, ex quo, licet extincta fuerit Primogenitura, Donatio tamen progreſſiva erat ad ultimi Donatarii Hæredes *jure tranſmiſſionis*, & *Legis miniſterio*; hæc utique ratio erat, quare eidem Duciſſæ Mariæ controverſa adjudicarentur Bona ex ipſomet tranſmiſſionis titulo, ex quo ab intentata *reverſionis* actione repulſa fuerat. Nam illa Filia, & hæres erat Ducis Petri Aldobrandini, qui in Donationis ſtipulatione *ultimus* Donatarius erat, cui *tranſmiſſionis* beneficium *ſolummodo* competebat. Sed hoc non in eo illa poterat obtinere judicio, ubi *reverſionis* actio promota ab ip-

ſa-

Digitized by Google

ſamet fuerat, quæ eidem *tranſmiſſioni* penitus adverſabatur. Commodè tamen exequi hoc ipſum poterat in alio univerſali Judicio, ubi omnia ferè Aldobrandiniæ Domus Bona eadem Duciſſa Maria jampridem poſtulaverat ex quocumque Jure, titulo, & actione, quæ *vigore Jurium, de quibus in actis* eidem eſſet competitura; Et in quo unice illa exciderat *Deciſio*, in qua eadem omnia Bona denegata fuerant præfatæ Duciſſæ Mariæ, ut ex ea tantum, ut innuimus, ratione, nimirum, quia ad Primogenituram vocata minime videbatur.

15 Sed ubi nova pro reintegrando certamine parabat arma, occubuit Duciſſa Maria, & geminas reliquit Filias, & hæredes *Annam Catharinam*, & *Angelam Eleonoram*, quæ adhuc inermes Puellæ nihilminus poterant, quam incæptum a Matre proſequi Judicium, quod penitus ignorabant: Et quamvis Prima nupta fuerit *clar. memor. Marchioni Carolo Malaſpina*; Altera vero clar. memor. Principi Vainio; nullum tamen a Viris præſidium capere potuerunt, quibus etiam ignota ſemper fuerunt jura, quæ ſuper Aldobrandiniæ Domus Bonis utiliter poterant experiri. Omnia tamen, licet ſero, ſcire aliquando potuit Excellentiſſimus Dominus *Marchio Azzolinus Malaſpina*, qui natus eſt a præfata Marchioniſſa Anna Catharina, & non tantum ejus, verum etiam Amitæ Angelæ Eleonoræ Hæres, & quidem ex aſſe fuit. Et hic propterea his nominibus ex adverſo hucuſque minimè controverſis avitum reſtauravit Judicium ſuper omnibus, & ſingulis Bonis, & Juribus, quæ ex Aldobrandina Domo eidem certè competere dignoſcuntur; & modo in his Scriptis agens juxta memoratum Sacr. Tribunalis Reſcriptum de ſola Donatione Fratrum de Aldobrandinis ſeorſim a Primogenitura, aliiſque Juribus; ſupplex eſt Reverendiſſimis Patribus, ut ad inſcriptum Dubium = *Affirmativè in omnibus* = reſpondeant. Neque a ſpectatiſſima illorum Juſtitia, & Religione timere ullatenus poteſt, quin voti compos in omnibus efficiatur.

16 Quommodo enim dubitari poterit, an ſit reſcribendum, = *Eſſe locum Traſmiſſioni?* = quando jampridem, & tunc cum *Duciſſa Maria* ejuſdem Marchionis Azzolini Auctrix, & Avia hanc ipſam Donationem reſolutam authumans de Bonorum *reverſione* egit, apertè declaravit Sacrum Tribunal, Donationem reſolutam non fuiſſe, & ideo locum non eſſe *reverſioni*,

 quia

quia locus erat *Tranſmiſſioni*; itaut *quemadmodum ulteriores Donatarii, vel comprehenſi, ſi extarent, caperent ex vi comprehenſionis, ita hæredes etiam non nominati capiant Jure TRANSMISSO, & ſimplici miniſterio, & operatione Legis*, ut ſunt verba Urſinia Deciſionis *noſtro Summario num. 19. litter. I.*. Ita ſane, & pluries cenſuit Sacrum Tribunal, & ita judicari impenſiſſime poſtularunt Adverſariorum Auctores. Hoc igitur ſatis ſuperque foret, ne quæ in hujuſmet Donationis caſu, & exadverſo agnita, & a Sacro Tribunali admiſſa pluries *Tranſmiſſio* fuit, in diſcrimen amplius adduceretur. At vero nulla ratio fuit, aut eſſe unquam poterit, ex qua illa utiliter impugnetur.

17 Etenim = *ex conditionali ſtipulatione ſpes eſt*, debitum iri, *eamque IPSAM SPEM AD HÆREDES NOSTROS TRANSMITTIMUS, SI PRIUSQUAM CONDITIO EXTET, MORS NOBIS CONTIGERIT*. = Ideoque = *cum quis ſub aliqua conditionali ſtipulatus fuerit, LICET ANTE CONDITIONEM DECESSERIT, poſtea exiſtente conditione, HÆRES EJUS AGERE POTEST* = Elementaris eſt, & certiſſima *Juris Regula*, quam *præſignatis verbis* ſtatuunt capitales *Textus*, quorum alter eſt *In* §. *Ex conditionali, Inſtitut. titulo de verborum obligation.*, & alter in §. *Cum quis de Inutil. ſtipulat.* Nos autem ſumus in ſtipulatione conditionali, quoties cum *Fratribus* convenit Dux Petrus, ut ſi illi ſine Deſcendentibus Maſculis obiiſſent, indiviſa Paterna hæreditatis Bona *Petrus* idem eſſet conſecuturus. *Summario numer. 2. litter. O.*. Quamvis igitur hæc ipſa conditio Fratrum obitus ſine Filiis Maſculis, dum vivus ille erat, adhuc non evenerit (ſicut alias eveniſſe nos ſtatim erimus demonſtraturi) *jus* tamen illud, quod dicunt *ſpem debitum iri*, quodque eidem Petro ſtatim, ac conditionalis ſtipulatio concepta fuit, deberi *ſtatim* incœpit, ad ſuos tranſmiſſum fuit hæredes, qui poſtquam ipſa evenit conditio agere potuerunt pro obtinendis Bonis, quæ ſub ipſa conditione eidem Petro promiſſa ſunt, ut præfatam inſequendo regulam ubique edocent DD., & præ cæteris ipſemet noſtrorum Aldobrandinorum Fratrum Proavunculus percelebris Juriſconſultus *Silveſter Aldobrandinus ad dictum* §. *ex conditionali*, & *ibidem Borcholten. Vinnius, Heinnecius ad eumdem* §., & *titulum*, & *Inſtitutiſtæ omnes*.

18 Latè, & doctè *Cujac. in Libr. 53. ff. Salv. Ju-*

Lug-

litu. tom. primo pag. mihi 1027. Edit. Lugdunen., *& in Commentar. Titul. ff. de V. O. L. 57. pag. mihi* 1476. *tom.* 2. ibi = *Actio igitur ex ſtipulatu datur hæredi ſtipulatoris*, *SI POST MORTEM ejus conditio ſtipulationis extiterit* = *Et in obſervat. tom.* 4. *obſervat.* 19. *pag.* 202., & alibi frequentiſſimè. *Duaren. ad titul. de ſtipulat. Servorum cap.* 6. *verſ. ſub conditione*, *Covarr. in Commentar. in Jus Civil. libr.* 6. *num.* 11., *Oldrad, Conſil.* 224, *num* 28., *Abbas Conſil.* 85. *n.* 2., *& ſeqq.*, *Tor. de pact. futur ſucceſſ. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 66, *Covarruz. practic. quæſt, cap.* 39. *num.* 3., *Gomez variarum reſolut. cap.* 11. *num.* 36., *Cancer, variar. cap.* 21. *numer.* 97. *part.* 3. ibi = *Quoniam in CONTRACTIBUS conditionalibus pendente conditione naſcitur ſpes debitum iri*, *cum conditio exiſtat*, *& illa transmittitur ad Hæredes* = Perballe *Coccejus ad Grot. de jure Bell.*, *& Pac. libr.* 2. *cap.* 4. §. 11., *& ad cap.* 7. §. 2. *Propoſ.* 5. *num.* 5. ibi = *Rendente conditione revera Jus aliquod verum*, *& quæſitum eſt*, *& ſtatim nata eſt facultas naturalis petendi in eventum*, *quæ æque naturalis eſt*, *ac facultas videndi homini ineſſe dicitur etiam noctu &c. Ex hac diſpoſitione igitur jus oritur expectandi illum eventum*, *quod jus ad hæredes quoque tranſit* : *atque hoc jus eventuales I. C. appellant* ſpem debitum iri =

9 Et ubique judicarunt ſuprema quæque Orbis Tribunalia, ut apud *Sperell. deciſ.* 169. *num.* 36. *Seſſ. deciſ.* 23. *num.* 1., *Maynard. deciſ.* 33. *num.* 2., *&* 3. *libr.* 5. *deciſ.* 122. *num.* 10., & paſſim Sacrum iſtud Auditorium, *coram Dunoz. deciſ.* 707. *num.* 19. ibi = *Fuit reſponſum, id procedere in ſpe*, *quæ oritur EX CONTRACTU* : *ſecus autem in ultima voluntate*, *quia talis ſpes hoc caſu TRANSMITTITUR ad hæredes ante eventum conditionis* = *& coram Faleoner. decenſ. deciſ.* 3. *num.* 21., *& deciſ.* 142. *num.* 2. *part.* 4. *tom.* 1. *recen.* ibi = *Et Rota utraque parte informante*, *affirmativè reſpondit*, *& principale fundamentum fuit*, *quia jus conditionale quæſitum EX CONTRACTU tranſmittitur ad hæredes*, *ETIAMSI QUIS DECESSERIT*, *conditione pendente* = *& deciſ.* 127. *num.* 15. *part.* 16. *Recent.*, *& deciſ.* 343. *part.* 19., *& in Peruſina Bonorum*, *ſeu Reintegrationis* 11. *Maii* 1750. §. 5. ibi = *Illudque pariter certum eſt*, *ex ſtipulatione ſcilicet conditionali ſpem*, *& JUS TRANSMITTI in hæredes etiam Hæredum*, *quamvis ſtipulator pendente conditione DECESSERIT* = *coram Eminentiſ-*

ſimo Domino Cardinali Migazzio Archiepiſcopo Vienneſi.

19 Quod autem in quacumque conditionali ſtipulatione ſtatutum conſultiſſimè videtur, ideo libentius in hac ipſa noſtri *Contractus* ſpecie erit recipiendum, quæ DONATIO eſt *inter Vivos*, *perpetua*, *irrevocabilis*, & mutua *hinc inde* inter Aldobrandinos Fratres ſtipulatione celebrata, *Summario num. primo litter. F.* Hujuſmodi namque Donatio, ſicuti *reverſioni* obnoxia eſſe non poterat, ut jam *ex Re judicata* conſtat, de qua *Sum. n.* 14., ita ad hoc ut ulterius progredi valeret ingenio ſuo potiſſimum exigere videbatur, ut quamvis *ultimus* Donatarius ante conditionis eventum præde ceſſerit, ipſa tamen Donatio non evaneſceret, ſed ad ipſius *ultimi* Donatarii hæredes tranſmiſſa fuerit, ut ſcitè ponderat *Capycius Galeotta lib.* 2. *Controverſia* 21. *num.* 17. ibi = *Si hæc Donatio eſt inter vivos, nemo unquam cum judicio hæſitare poterit, an talis Donatio evaneſcat prædecedente Donatario, cum ſe invicem non compatiantur hæc, quod ſint inter vivos, & tamen caducetur tanquam conditionalis.*

20 Quamobrem ſpeciali *Legum* ſanctione, & individua *Doctorum*, & Tribunalium *omnium* auctoritate cautum ubicumque reperitur, ut quamvis *ultimus Donatarius*, ille nempe, qui poſt *primi* Donatarii mortem ſubſtitutus eſt, ante illum, & adhuc pendente conditione, ſub qua vocatus eſt, moriatur; *ſpem* tamen *futuræ* actionis, ſive ſubſtitutionem ipſam conditionalem ad *ſuos* tranſmittat hæredes. Speciales *Textus* ſunt *in Lege Quoties Codic. de Donat.*, *quæ ſub modo &c.*, *& Leg. Si cum Filius* §. 9. *Leg. Spem Codic. Eodem*: Et ſpecificè de Donatione agentes unanimi ſenſu edocent *Guglielm. de Benedict. in Cap. Raynutius verbo abſque Filiis moreretur*, *de Fideicommiſſ. ſubſtitution. num.* 7., *Ferd. Bereng. in cap. unic.*, *de Filiis natis ex Matrimon. ad uſum morgan. cap.* 6. *num.* 10. *Faber. in ſuo Codic. libr.* 8. *num.* 35., *Spada Conſ.* 46. *num.* 1., *&* 65. *tom.* 1., *Molin. de juſt.*, *& jure tom.* 2. *diſp.* 285. *num.* 4. ibi = *Si Donatio ſub conditione fiat, ſuſpenditur quidem obligatio, ac debitum in re, ut non prius oriatur, ac conditio impleatur; attamen ſtatim ex tali diſpoſitione oritur* SPES DEBITI IN RE FUTURI, *atque ideo obligatio*, ET DEBITUM SECUNDUM QUID, *nempe ſub conditione*; *ſi conditio impleatur*; *Ejuſmodique* SPEM, *ſeu obligationem*, *ac debitum ſecundum quid* TRANSMITTIT AD SUOS HÆREDES IS, CUI TALIS PROMISSIO, ET

DO-

Digitized by Google

DONATIO EST FACTA, SI DISCEDAT E' VITA, ANTEQUAM CONDITIO IMPLEATUR = *Cancer. variar. reſolut. part. 3. cap. 91. num. 95. de Marin. variar. reſolut. cap. 83. per totum, Gratian. diſcept. Forenſ.247.num.6.* ibi = *Immo etiamſacta tali ſubſtitutione in donatione, & quamvis eſſet conditionalis* TRANSMITTERETUR *ad hæredes, conditione pendente* = *Prat. obſerv. 80. per tot. Centur. primæ pract., obſerv.* Conſonant *Giurba de Succeſſ. Feud. cap. 118. §. 25. Gloſſ. 10. num. 59. §. ultim.* ibi = *Atque ideo moriente* SECUNDO *Donatario*, VIVO PRIORI, *conditio poſt mortem non deficit:Cum ergo* SUCUNDUS *deceſſerit, non defecta, ſed pendente conditione, merito tranſmittit*=& paulò infrà,ibi=SECUNDUS *Donatarius, cui poſt mortem* PRIMI *res reſtituenda eſt,SI VIVO* PRIMO *Donatario decedat*, SPEM *illius actionis in Filium ſuum tranſmittit* = *Fontanell. de Pact. nupt., gloſ.24. num. 23. Noall. de Tranſmiſſ. cap.5. num. 5.*

20 Ibi=*Procedit quoque in Fideicommiſſo facto in* CONTRACTU juxtà legem quoties Cod. de donat., quæ ſub modo; *Nam ſubſtituto decedente ante Donatarium, ſive hæredem gravatum, vel ante eventum conditionis, tamen Fideicommiſſum*AD EJUS HÆREDES TRANSMITTITUR = *Cutel. de donat. diſc. primo ſpecial.37. num.6.*, ibi = *Communiter concluditur per Doctores, quod Subſtitutionis Jus a Donatione competens, ac ſtipulatione conditionali* TRANSMITTITUR *in Succeſſores, ſi adhuc illa pendente*, DECEDAT SUBSTITUTUS = *Cacheran. deciſ.24. num.2., Surd deciſ.144. num.29., & ibi plenè hodiern. Peguer. deciſ.263. per tot. Capyc. Latr. deciſ.29. num.9., & ſeqq. Rot. deciſ.84. num.21. coram Durana, & deciſ.178. num. 9. coram Benincaſa*, ibi = *Et quatenus illam induceret, cum Donatio ſit irrevocabilis, & inter Viros, ut ſuprà dictum eſt ad hæredes, etiam pendente conditione* TRANSMITTITUR = *& deciſ. 142. num. 2. par.4. tom.1., & deciſ.174. num.6. par.6., & deciſ.434. num.21. par.15., & in Anconitana Succeſſionis, quoad Commendatorem Camillum de Ferrettis 23. Februarii 1723. coram clar. mem. Card. Calcagnino, & in Romana Immiſſionis 5. Junii 1750. §.6. coram clar.mem.Card. Buſſio.*

21 Nec ullum ingeret præjudicium id, quod in Foro paſſim auditur, in caduci cauſam abire Poſteriorum ſubſtitutionem, qui vel ante primos, vel adhuc pendente conditione deceſſerint. Hæc enim frequentiſſimè proclamata caducitas *ad Teſtamenta* pertinet, *& ultimas*

voluntates; non tamen *ad Contractus*, & *Donationes*, *præſertim inter vivos*. Eaque eſt inter utrumque diſpoſitionis genus ſolemnis differentia; ut in Teſtamentis relictum = *Intercidat legatum*, *ſi ea Perſona*, *cui legatum eſt ſub conditione*, *ea pendente*, *deceſſerit*, ut ſcriptum eſt *in Leg.4.*, & ibi = *Gloſs. verbo deceſſerit ff. de condit.*, *& demonſtrat*: Et penitus evaneſcat illius teſtamentaria ſubſtitutio, qui ante inſtitutum præmoriatur, ut *in leg. unica §. Noviſſimo Cod. de caduc. tollen.*; At non pereat quæcumque conditionalis ſtipulatio, & conditionatæ præſertim Donationis *contractus*, ſi ante conditionis eventum, vel ante primum Donatarium *ultimus* præobierit, ſed donata Bona ad ejus tranſmittantur hæredes;

22 Ita probè diſtinguit *Gloſs. in præfato §. Ex conditionali Inſtitut. de verbor. obligat.*, & præcitati *Omnes*, & præcæteris *Cujac. in lib.55. ff. Salvi Juliani* Tom. 1. *pag. mihi* 2227., ibi = *Et è contrario magna differentia eſt inter ſtipulationem*, *& legata*; *Quandoquidem STIPULATOR conditionalem ſtipulationem*, *ſi pendente conditione moriatur*, *IN HÆREDEM SUUM TRANSMITTIT*. *Legatarius autem pendente conditione defunctus nihil in hæredem ſuum tranſmittit* = *Canter. Variar. cap.*21. *num.*97. *par.*3., ibi = *Quoniam in CONTRACTIBUS conditionalibus naſcitur*, ſpes debitum iri &c. *In ultimis autem voluntatibus non naſcitur* ſpes debitum iri; *& ob id non tranſmittitur ad hæredes*. *Rot. deciſ.*127. *num.*15. *par.*16. *Recent. Card. de Luc. de Donat. diſcurſ.*26. *num.*14., ibi = *Dum in his*, *quæ competunt EX ACTU INTER VIVOS datur TRANSMISSIO*, *neque intrat caducatio*, *quæ per præmorientiam Donatarii intrat ſolum IN ULTIMIS VOLUNTATIBUS*, *& Rot. in Firmana Bonorum*, *ſeu Donationis* 9. *Maii* 1707. §.3. *coram clar. mem. Cardin. Priol.*, ibi = *Quia licet IN TESTAMENTIS*, *ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS*, *regulariter locum non habeat tranſmiſſio*, *hæc tamen benè procedit IN CONTRACTIBUS*, *ET PRÆSERTIM DONATIONIS INTER VIVOS*, *DE CUJUS NATURA EST*, *UT BONA PERPETUO ADDICENTUR DONATARIO*, *EJUSQUE HÆREDIBUS*, *AD QUOS PROPTEREA IPSA BONA DONATA TRANSMITTUNTUR*; *NON OBSTANTE PRÆMORIENTIA DONATARII*.

23 Unde tamen adeo inſigne diſcrimen *Contractus* inter, & *Teſtamenta*? Plures equidem ſunt, quæ ex omni ferè Juriſprudentia undequaque confluunt ſolidiſſimæ ra-

rationes: Ea tamen potior omnibus eſſe videtur, quia nempe *ſtipulatio*, utcumque conditionalis, vim tamen *STATIM* recepit a mutuo Contrahentium conſenſu, qui licet conditionalis ſit; revocabilis tamen haudquaquam eſt, donec adjecta pendeat conditio: At legatum conditionale nullas ab initio recipit vires a Teſtamento, quod ab unius volubili pendens voluntate revocationi ſemper obnoxium eſt, donec conditio non impleatur: Et ſane = *Si quis ſub conditione ſtipulatus fuerit, ex præſenti vires accepit ſtipulatio* = ait *Paul. in Leg. Uſusfructus ff. de ſtipulat. ſervor.*: Ex diverſo autem = *Legata ſub conditione relicta non ſtatim, ſed cum conditio extiterit, deberi incipiunt*, inquit *Lubeo in Leg. 4. ff. de condit.*, *&* *demonſtrat.* Ob idque *IN CONTRACTIBUS obligatio conditionalis, obligatio eſt*, juxta *Cujacii* verba *ad leg. 42. de act.*, *& oblig. t. 2. pag.* 1416. Quemadmodum = *placet, eum, qui ſtipulatus eſt ſub conditione, creditorem eſſe* = ut reſpondit Vulpian. *in Leg. Is cui 41. ff. de action.*, *& obligat.*: At Legati conditionalis nulla obligatio eſt *Leg. Uſusfructus ff. de ſtipulat. ſerv.*; proindeque = *Is, cui ſub conditione legatum eſt, pendente conditione, non eſt Creditor, ſed cum extiterit conditio* =, ut ita diſtinguendo proſequitur idem *Ulpian. in præfata Leg. Is, cui 41. de action.*, *& oblig.*

24 Et quamvis ex conditionali legato ſpes oriatur id aſſequendi, quod legatur, non ſecus ac in conditionali ſtipulatione id, quod promittitur; non ejuſdem tamen virtutis, & efficaciæ eſſe videtur *ſpes*, quæ ex *contractu* naſcitur, ac eaquæ ex conditionata ultima *diſpoſitione* proficiſcitur: In illa Lex ipſa excitat jus quoddam *verum*, quod alias ex ſui natura ſpes ipſa non haberet, ut eleganter *Grotius de Jure Belli, & Pacis lib. 2. cap. 7. §. 2.*, ibi = *Licet ſpes nihil ex ſe naturaliter operetur; Lex tamen excitat in ea Jus quoddam VERUM pro iis omnibus, quæ ex ſtipulata conditione debentur* = Unde *ſpem* ex conditionali *Contractu quæſitam aliis cedere, vendere, ac donare poſſumus*, ad *Textum in Leg. Spem Cod. de donat. Rot. deciſ. 454. numer. 20. par. 13. Recent.* = Diciturque Jus quæſitum de *præſenti*; ut ex *Giurba de Succeſſ. Feudorum Gloſſ. 10. num. 85.*; *& Rot. deciſ. 274. num. 15. par. 6. Recentior.* Quod proinde refutare in Creditorum detrimentum non poſſumus, quamvis alia quærenda Jura valide renunciemus ut per *Gratian. diſcept. forenſ. 102. num. 17. Afflict. conſ. 188. num. 23.*, *& ſeqq.* Idemque præterea Jus in familiæ erciſcundæ judicio conferri debet; *Leg.*

Propter ſpem ff. Familiæ erciſcundæ, *leg.2. ff. de col-lat. Bonorum* §.1., *& ad eam Cujaccius tom.1. pag.*1385. & tandem in Fiſcali mulcta comprehendi poteſt, ut per *Hondedeum conſ.95. num.72.*, *& Farinacc. de de-lict. pæn. quæſt.25.*

25 Spes autem, quæ ex conditionali Fideicommiſſo, aut Legato promanat, vacua prorſus, & inanis eſt, nul-laque Legis virtute roboratur, *leg. fin. verſic. Acerbiſ-ſima ſpe Cod. de pactis Aretin. in Inſtit. de obligat.* §.4. Nec propterea eam vendere, cedere, aut dona-re alteri poſſumus, *Leg. Legata ſub conditione ff. de condit.*, *& demonſtrat.*, *& Cujacc. ad Tit. Cod. de caduc. tollen. pag.*808. *tom.*3. Proque jure quærendo habetur jus, quod ex ipſa ſpe oritur, *Celſ. Ug. con-ſil.6. num.4.*, *& Giurb. dicta gloſs.10. num.85. §. Aliud*; Immò etiam *nec in eſſe productum*, ut inquit *Palma alleg.64. num.6.* Et illud propterea etiam invitis Cre-ditoribus licitè renunciamus, *leg.6. §. Quæ in frau-dem Creditorum*, *& Olea de ceſs. Jur. tit.2. quæſt.3. num.5.*; Nec in Bonorum collatione computamus, ut idem *Cujaccius ad dictam legem 2. de collat. Bonorum dicta pag.*1385.; Nec in delicti pœna compræhendi-mus, *Lege Subſtitutio ff. de aquirendo rerum Dominio*, *& Boſs. in Tit. de Bon. public. num.15.*

26 Hæc igitur omnia, ubi memoria repetent peritiſſimi PP. Judices ſtatim comperient, quam certa ſit, & altis infixa radicibus regula *de tranſmiſſione* conceden-da in conditionali Donationis *Contractu* hæredi Donataribus ſubſtituti, qui pendente conditione de-ceſſerit, quæ alias deneganda eſſet in ultima condi-tionali voluntate hæredibusLegatarii,aut Subſtituti ſub conditione,ante cujus eventum ille defecerit. Suſpicari autem haudquaquam poſſumus, in quæſtionem nobis adduci velle, an iſthæc noſtra *Donatio*, *ultima* potiùs voluntas, quam *Contractus inter vivos* ſit reputanda, ex quo potiſſimum in illa Primogenitura inſtituta repe-riatur. Eam ſiquidem Contrahentes ipſi *DONATIO-NEM INTER VIVOS* appellarunt. Nec propterea à nobis aliter poterit æſtimari, ac ab ipſis Donatoribus nuncupata fuit. *Leg. Non aliter ff. de Legatis 3. Leg. Labeo ff. de Supellectili Legata*, & cùm aliis rectè *Manſius Conſult. 262. tom.3. num. 2.*, ibi =, *undè do-natio inter vivos æſtimari debet*, *qualis ab ipſo Donato-re denominata fuit*.

27 Verum, ne aliter æſtimetur prohibet, & Donatorum Bonorum ſtatim ſequuta traditio; & præ cunctis pro-hibet *Res judicata*, quæ Donationis ipſius reſolutio-

nem

nem, & bonorum *reverſionem* denegavit *ex eo, quod agebatur de Donatione inter vivos pura, & IRREVOCABILIS, ex cauſa quacumque, licet in corpore juris clauſa*; ut ſunt *Deciſionis* verba *in Summario numer.* 19. *ſub initio*. Ut enim inquit doctus *Molina de Primogenituris libr.* 1. *cap.* 12. *num.* 22. = *Si primagenium ei lege in Contractu fiat, ut IRREVOCABILE ſit, SIVE EX TRADITIONE, ſive PACTO DE NON REVOCANDO, ſive ex aliis clauſulis, dicendum erit illicò Majoratum ipſum CONTRACTUS INTER VIVOS NATURAM ASSUMERE. NON ENIM POTEST DARI ULTIMA VOLUNTAS, quæ revocabilis non ſit; Ideoque ex earum clauſurarum appoſitione, Majoratum, tanquam CONTRACTUM, non tanquam ultimam voluntatem cenſendum eſſe: Nec mirum, cum in hoc caſu ceſſent omnes rationes, ex quibus Majoratum ſupremi judicii naturam ſequi ſuperiùs dicebam*.

29 Verus igitur *Contractus* fuit *inter vivos* Donatio inita inter Fratres de Aldobrandinis; Eoque magis Contractus eſſe dignoſcitur *ad hunc, de quo agimus Transmiſſionis effectum*, quominùs dubitari poteſt, an in ea ſolius factum Donatoris intervenerit, undè ex aliquorum opinione Contractus nomen, & quaſitas Donationibus non tribuitur: Noſtra namque Donatio *mutua hinc inde interveniente ſtipulatione* celebrata fuit; Inſuper fuit *reciproca, & correſpectiva* inter ipſos Fratres; Et uno verbo, nihil ei defuit, ex quo tanquam verus *Contractus*, & quidem ultrò citroquè *obligatorius* cenſeri poſſit. In hac porrò Donationis ſpecie certiùs uſque, & nemine diſcrepante probatum, admiſſumque apud omnes fuit, *Transmiſſioni* locum eſſe, quando Donatarius obierit, priuſquam oppoſita extiterit conditio, ut præcunctis advertit prælaudatus *Aldobrandinus conſ.* 9. *numer.* 6. *Menoch. conſ.* 588. *num.* 54., ibi = *Reſpondetur* Textum in §. Ex conditionali, *loqui in CONTRACTIBUS ULTRO, CITROQUE OBLIGATORIIS, hoc eſt de illis, in quibus, tam ex parte unius, quam alterius RES ALIQUA INTERVENIT, & hinc inde donatur, atque ita agitur de eo, in quo voluntas, & factum UTRIUSQUE contrahentis expectatur, & ob id uterque præſumitur voluiſſe conſulere PROPRIO HÆREDI* = *Galganet de condit. part.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 8., ibi = *Præmiſſa ſunt intelligenda in Donatione inter vivos, quando adeſt ſtipulatio Donatarii, & Donantis* = *Et Capyc. Latr. dicta deciſ.* 2. *num.* 8.

30 Immò etiam hujuſmodi contractus inter Fratres initus, quò indiviſæ paternæ Hæreditatis partem alter alteri

ea

ea lege donat; ut ſibi etiam ille ſuam partem conferat ſi ſine filiis maſculis obierit, nec vera donatio eſt, ſed quædam *fraternitas*, ſeù *ſocietas*, teſte *Boerio deciſ. Burdagalen. 555. num.* 1., *&* 3.; Imò quædam *permutatio ſpei*, ſeù *donatio ob cauſam*, & quidem *oneroſam*, quæ loco *pretii* eſt; eademque ſpes debita eſt, ſtatimac *ſtipulatio* concipitur, & ad hæredes tranſmittitur, qui conditione eveniente, quidquid ſub ea donatum eſt, ab hæredibus defuncti Fratris ſine Filiis maſculis, tamquam hæreditarium Creditum exigere dignoſcuntur, ut de ſimili Donatione inter Fratres Excellentiſſimæ Domus Columna appoſitè advertit *Gabriel, conſil. 136. tom. 3. num. 4.*, ibi = *Exploratum eſt, donationes reciprocas, non eſſe donationes veras, ſed quando ſiunt ſub conditione*, ſi deceſſerit ſine Filiis Maſculis *eſſe permutationes ſpei &c. Ergò ſtatim perfectò contractu FUIT AQUISITA SPES CONSEQUENDI BONA ALTERIUS in eventum mortis ſine Filiis Maſculis, quæ in hæredes TRANSMISSA fuit*, §. Ex conditionali; *Idcircò quidquid exiſtente conditione aquiritur, provenit ab hac SPE AQUISITA TEMPORE CONTRACTUS ex cauſa ONEROSA; quod eſt loco PRETII, & propterea debitum, poſt purificatam conditionem dicitur hæreditarium*.

21 Ex his ergo omnibus evidentiſſimè probatur, Ducem Petrum inter Aldobrandinos Fratres *ultimum* Donatarium jus, & actionem, ſeù ſpem debitæ ſucceſſionis in donatis Bonis jam à primo ſtipulationis tempore quæſitam ad hæredes tranſmiſiſſe ſuos; quamvis ille adhuc pendente conditione obitus Fratrum ſine filiis maſculis occubuiſſet. Quid verò dicendum, ubi antea quam ille decederet, hæc ipſa extitit conditio? Profectò, ubi *Principiſſa Olympia pro ſe, ET SUIS SUCCESSORIBUS, ET HÆREDIBUS QUIBUSCUMQUE renunciavit omni juri, & actioni ſuper Bonis dictæ Donationis, & Primogenituræ, quam ex quavis cauſa habere poſſit; & declaravit omnia poſſidere TITULO, ET VIGORE TESTAMENTI CARDINALIS HIPPOLYTI, ET NON ALITER, NEC ALIO MODO*, ut ſunt ſolemnis Inſtrumenti verba *in Summario num.* 13, *litt. A.*: Et quotiès Excellentiſſimi DD. Adverſarii Succeſſores, & Hæredes ſunt Princiſſæ Olympiæ, nec ejus propterea factum, nec juramentum pro illis emiſſum excutere unquam poſſunt, vulgata *Lege cum à Matre Cod. de reivindicat.*, & plenè *Rota in Romana Legitimæ, & Locorum Montium* 11. *Martii* 1757. §. *final. coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Elephantutio*:

Jam

Jam pro ipſis Adverſariis nullus alter erit Donatarius, præter ipſum Cardinalem Hyppolitum. Hic vero ex aſſumpto Sacerdotio, adeptaque Cardinalatus ampliſſima Dignitate ſacrum vovit celibatum jam multo pridem, ac Petrus ipſe deceſſiſſet, *Summario num.*3.

32 Ex ea igitur die, qua cœlibis vitæ votum emiſit Hippolytus, fieri haud quaquam poterat, ut idem Hippolytus legitimam prolem amplius eſſet ſuſcepturus. Non ergo dubitari poteſt, quin uſque tunc impleta dici debeat conditio ejus obitus *ſine filiis maſculis legitimis, & naturalibus*, & adapertus aditus Duci Petro ſuccedendi in donatis Bonis, quæ ſub ea conditione promiſſa eidem erant, ac *Textum in Leg. Hæredibus L. Ex facto §.Si quis rogatus ff. ad Trebellian.*, & unanimi ſenſu confirmant *Alex. conſ.*100. *num.*4. *Bertrand. de Carpentraſſ. conſ.* 335. *num.* 2., *& ſeqq. lib.*3. *Caſtil. quotid. controv. lib.*3. *cap.* 12. *num.* 93. *Peregrin. de Fideicommiſs. art.*28. *num.* 83., ibi = *Per aſſumptionem Sacerdotii intelligi ſtatim purificatam conditionem, ſi ſine liberis, quia certum eſt, liberos non naſcituros, qui operari poſſint conditionem, ac ſubſtituti excluſionem* = *Boer. deciſ.* 554. *num.* 11. *Rot. deciſ.* 461. *num.* 6., *&* 15. *coram Buratt.*, *& deciſ.* 345. *num.* 8., *coram Bich.*, *& deciſ.* 292. *num.*4., *coram Priolo*, *& deciſ.* 6. *num.*1., *& ſeqq. par.*5. *Rec.*

33 Neque huc pertinet illorum quæſtio de duplici conditione, quarum altera ſit in prolis defectu, altera verò in mortis eventu; ità ut non omnia completa conditio videri poſſit, quia Petrus ante Hippolytum obierit. Principio ſiquidem Hippolytus ipſe eam ſibi dixit legem, ut ſi ſacris Ordinibus initiaretur, & Sacerdotalem vitam profiteri vellet, *eo ipſo ille fuiſſet foret ſucceſſione privatus, & in donatis Bonis ſuccedere deberet qui ſucceſſurus eſſet, SI ILLE NON FUISSET IN MEDIO, ut in Summario num.* 1. *litt.*T. Inde verò ſtatim dubium omne perimitur, quin Hippolytus idem, poſtquam Sacerdotalem vitam ducere profeſſus fuerit, ut civiliter mortuus ita ſit reputandus, ut tanquam naturali illius morte ſecutâ, Petrus *ultimus Donatarius* in donatis Bonis ſuccedere debuiſſet, ut tradunt relati per *Adden. ad dictam Deciſ. Buratt.* 461. *num.* 15. ibi = *Hinc infertur, quod gravatus ſub conditione*, ſi deceſſerit ſine Filiis *emittens Profeſſionem, habetur perinde, ac naturaliter obiiſſet*, & in dicta Deciſione 345. *num.* 8. *coram Bichio*, ibi = *Probatur autem obitus Dionyſii non naturaliter, ſed civiliter per profeſſionem emiſſum in Religione, quæ ad eſſe-*

fectum purificandi conditionem ſubſtitutioni appoſitam, operatur eumdem effectum, ac naturalis; & propterea æquè aperit ſucceſſionem ad favorem Subſtitutorum.

34 Deindè verò nos ſumus in Donationis Contractu, undè nulla ex inſerto mortis die oritur conditio, cujus defectus donationis emolumentum intercipiat. Quamvis enim dies mortis, incerta dies ſit, & incerta dies conditionem faciat, ante cujus eventū nulla detur actio, nulla exurgat obligatio. *L. Qui hæredi* §. *finali ff. de condit., & demonſtrat. Leg. cedere diem ff. de verb. oblig.*. Non omnis tamen dies incerta conditio eſt. *Leg.*4. *ff. quando dies Legati cedat, & Leg.* 5. *Cod. eodem*; quamvis omnis conditio ſit incerta dies. *Leg. talis Scripturæ ff. de Legatis primo*. Quare = *Dies incertus conditionem quidem facit in Teſtamentis*, ut ait Juriſconſultus *in Leg.* 74. *ff. de condit., & demonſtrat.* = *Secus autem IN STIPULATIONE, ubi ſemper tranſit ad hæredes*, ut ſubdit *ibi Gloſſ.*, & probat clariſſimus *Cujac. in tit. Cod. de caduc. tollen. pag. mihi* 807. *tom.* 3. *Edict. Lugdunen.* §. *Item* ibi = *Et omnis quidem conditio eſt dies incertus; Non omnis dies incertus tamen eſt conditio, & ita ſi ſtipulanti aliquid promiſero, cum moriar, dies eſt incertus, qui tamen conditionem non facit &c.. Et rectè Lex dies incertus ff. de condit., & demonſtrat. diem incertum in Inſtrumento facere conditionem putat &c. nam ALIUD eſt in Teſtamento, ALIUD eſt in STIPULATIONE* = Et præcisè *Fontanell. de pact. dict. Clauſ.* 4. *Gloſſ.*3. *num.*15., ibi = *Cæterum ſtatim dubitabis, cum dies mortis ſit incertus, & dies incertus facit conditionem, cur in noſtro caſu non erit conditionalis dicenda donatio? Reſpondeo*, quod ſupradicta *procedunt IN ULTIMIS VOLUNTATIBUS, non IN CONTRACTIBUS* = *Et Rota deciſ.*436. *num.* 2. *par.*3. *Recen.* ibi = *Cum dies incertus in CONTRACTIBUS conditionem non faciat*.

35 Quandoquidem incerta mortis dies haud impedit, quin ut primum ſtipulatio concepta fuerit, ſtatim oriatur actio, ſed illius tantum ſuſpendit exercitium *Leg. centeſimis in principio* ibi = *Quoniam præſens obligatio eſt, in diem autem dilata ſolutio* = *ff. de verbor. obligat. Leg. Stipulatio iſta* §. *Incertum ff. eod.*, *& Leg.*3. §. *Si quis ita ſtipuletur* 2. *ff. de eo quod certo loco &c.* Nec ſtipulatio perit, ſi ante promiſſorem ſtipulator ipſe prædecedat, ſed ad ejus hæredes excurrit actio, quæ ei vivo quæſita fuerat, dicta *Leg. Quoties Cod. de donat.*, *quæ ſub modis* ibi = *Actio, quæ Sorori tuæ, SI REBUS HU-*

HUMANIS ESSET, *competebat*, *tibi accomodabitur* =, *& in Leg. Actio Cod. de Jur. Dotis* = ibi = *Actionem ex fide conventionis ad te*, *ſi hæres extitiſti*, *TRANSMITTERE potuit*. Cutell. de donat. *diſc. primo ſpecial.* 37. *num.* 12. Quum ex noviſſimo, quo utimur, Jure = *Veterum depulſa regula*, *liceat ab hæredibus*, *& contra hæredes actiones*, *& obligationes incipere*, = juxtà Imperialis ſanctionis verba *in Leg. Unica Cod. ut actiones ab hæredibus &c.*, & docet *Rota deciſ.* 436. *num.* 3. *par.* 13. *Recen.*

36 Secus autem in Teſtamentis eſt, ubi nihil ſtatim aquirit Legatarius, & ſi ante Teſtatorem obierit, totum evaneſcit Legatum, nihilque habet, quod ad hæredes ſuos transmittere poſſit, *ut plenè huc uſque probatum eſt*. Nihil ergo mirum, ſi adjecta mortis dies in Teſtamentis faciat conditionem, ſecus autem *in Contractibus*. In illis ſiquidem legati executio in incerto ſemper eſt, ſicuti incertum ſemper manet, an Teſtator hæredi prædecedat; Non ita tamen *in ſtipulationibus* accidit, ubi vel poſtea, vel antea Promiſſorem Stipulator occumbat; ſtipulationis tamen effectus evaneſcere nunquam poteſt. Ita ſapienter expendit acutus Juris Interpres *Vinn. in §. Omnis ſtipulatio ſub num.* 2. *Inſtit. de verb. oblig.* ibi = *In legato adjectio illa* = *cum hæres morietur* = *conditionem ideò facit*, *quia per eam vis Legati in incertum eventum ſuſpenditur*, *quippe quod præmoriente Legatario*, *effectum ſortiri non poteſt*: *IN STIPULATIONE verò hæc adjectio nullam incertitudinem parit*; *Nam etſi ANTE Promiſſorem STIPULATOR DECESSERIT*, *hæredi tamen ejus debetur &c.*

37 Si igitur à morte Hippolyti nullum expectandum erat conditionis implementum, quæ Ducis Petri ſucceſſionis aditum aperiret; Si una, quæ adjecta erat defectus Maſculinæ ſobolis conditio in eodem Hippolito jam plenè extiterat, & multò pridem, ac Dux idem Petrus è vivis exceſſerat, neceſsè proindè eſt, ut eadem ipſa Donationis ſtipulatio, etiam tunc cum Petrus in humanis erat, pro eo ità judicetur, perindè ac uſquè ab initio purè concepta legeretur = *Cum enim ſemel conditio extitit*, *perindè habetur*, *ac ſi illo tempore*, *quo ſtipulatio interpoſita eſt ſine conditione facta eſſet*, ait *Textus in Leg. Potior ff. qui potior in pignor. habeatur*, *& in Leg. ſub conditione ff. de ſolut. Lege qui Balneum ff. qui potior in pignor*, *Leg. Nec emptio de contrahenda empt.*, *Rot. coram Molines deciſ.* 959. *num.* 2. *in Romana*, *ſeù Praeneſtina Immiſſionis in genere* 22. *Martii* 1751. §. 2. *coram clar. mem. Card. Matthæjo*, *& in Camerinen. Collegii*, *Studiorum* 22. *Junii* 1753. §. 25. *cor. Illmo D. Figueroa*.

38 At

38 At verò in Donatione inter vivos, quæ *pura* ſit, nec ulla concipi quæſtio poteſt an in ea *Traſmiſſioni* locus ſit; cum illam ſecum ferat ipſius Donationis indoles, & natura, quæ ut ſuum obtineat irrevocabilitatis, & dominii abdicationis effectum, nullius mortem curat; & quamvis omnes obierint, inter quos eadem ſtipulata Donatio fuerit; ad utriuſque tamen Donantis, & Donatarii excurrit hæredes, & in eis adhuc viget Donatio, ſuumque naturalem proſequitur curſum. *Textus* eſt ſatis clarus, & elegans *in Leg. Si quis argentum, §. finali Cod. de donat.*, ubi ſtatuit Imperator = *donatas res non ſolum eos, qui donarunt, dum ſuperſunt, ſed etiam eorum Succeſſores reddere compellendos eſſe, non tantum iis, in quos Donatio facta eſt, ſed etiam eorum Hæredibus* =, & ex eodem *Textu* bene reſpondit *Rota in Deciſ.* ſuper *Reverſione* ejuſdem Donationis, de qua *noſtro Summ. num.* 19. *litt.* I. ibi = *Cum Donatio ſit in ſui proprietate actus abdicativus largitatatis, ſeu verius deperditionis, neceſſè eſt, ut bona ad hæredes jure TRANSMISSIONIS perveniant*, per Textum *in Leg. Si quis argentum &c.*: *Ideoque, ut Donatio proſequatur ſuum connaturalem effectum &c.*, *HÆRES ULTIMI VENIT CASU, ET FORTUNA*.

39 Nec propterea, ex quo antè Hippolytum Petrus obierit, iſtius ſubſtitutio perempta fuit; ſed jus, & actio in donatis Bonis ei ab ipſo primo ſtipulatæ Donationis momento quæſita vigens ſemper, & intacta ad ejus tranſiit hæredes, ad ſingularem *Text. in L. Illam C. de Donat.*, & *in L. Quoties C. de Donat.*, *quæ ſub modo &c.*, & unanimi conſenſione tradunt *Bartol. in L. Hujuſmodi ff. quando dies Legati cedat*. *Bald. in d. Leg. Quoties in fine*, ibi = *Donatum tibi erat, ut poſt tempus reſtitueres Sorori Donantis: deceſſit interim illa Soror dicitur hic, quod TRANSMITTITUR hoc jus ad Hæredem, quia ſumus in CONTRACTIBUS* = *a Souſa in Leg. Fœminæ ff. de regul. Jur.*, *Hermoſill. in addit ad Leg. 7. tit. 4. part. 5. gloſſ. 5. num. 1. & 2., & num. 40., & Leg. 26. gloſſ. prima num. 4. tit. 5.*. *Cravett. conſil. 77. num. 12., & ſeqq.*, *Noall. de Traſmiſſ. caſ. 2. num. 32., & cap. 5. num. 5., & caſ. 45. num. 8.*, ibi = *Subſtitutio facta in Donatione poſt mortem Donatarii non perimitur, ſi idem Subſtitutus PRÆMORIATUR Donatario gravato, ſed ad Hæredem ejuſdem Subſtituti TRANSMITTITUR* =; *Velaſc. de Jure Emphyteut. quæſt. 50. in fin.*, *Cutel. de Donat. diſcur. 1. Deciſ. March. 41. num. primo, & per tot.*, *Rota coram Emerix deciſ. 901. numer. 13.*, & *in Firmana Bonorum, ſeu Donationis* 9. *Maii* 1707. §. 3., ibi =

ibi = *Proindè ſequitur, quod tale Jus Filiis uſque AB INITIO irrevocabiliter quæſitum, non expiravit per illorum obitum ante Matrem, & Donantes, & tranſmiſſum fuit in Antonium Franciſcum eorum Patrem, & legitimum Hæredem* = *coram clar. mem. Card. Priolo, & in Hortana Donationis 28. Junii 1751. §. 4. cor. clar. mem. Amadeo*.

39 Idque eò libentius erit recipiendum, quò certius eſt, noſtram Donationem eis eſſe conceptam verbis, quæ etiam ULTIMI Donatarii *Hæredes* complectuntur. Stipulatum quippe, non ſolum fuit pro omnibus vocatis, & comprehenſis in ipſa Donatione, ſed etiam *pro omnibus, quorum intereſt, intererit, & intereſſe poterit quomodolibet in futurum*, ut in *Summario num. 1. litt. G.* = At verò, ſicuti mentio intereſſe habentium = quomodolibet in futurum, quæ reſpicit perſonas di= verſas à Vocatis, verificari non poterat, niſi in ſo= lis Hæredibus Donatarii, ita pro iis cenſetur ſtipu= latum, juxta ea, quæ tradunt Marcabrun. conſil. 3. = num. 61., & 125., Cutell. de Donationibus diſc. 1. = ſpecial. 4. num. 15. verſic. Per quæ verba lib. primo, = Rot. deciſ. 273. num. 6. & ſeqq. lib. 3. cor. Puteo, & = dec. 587. n. 3. part. 9. dec. 830. num. 7. part. 14. Recent. = Sunt verba, & Auctoritates Deciſionum *Urſini, & Emerix ſuper reverſione in noſtro Summario num. 19. litter. B., D., & R.* =; Neque ideo vereri haud quaquam poſſumus; quin præcognita jam, & admiſſa veritas nunc exadverſo utiliter poſſit impugnari.

40 Dum verò ipſi quoque *hæredes* in noſtræ donationis ſtipulatione continentur; nil magis certius, aut exploratius eſſe poterit, quam quod voluerint Stipulatores, ut ipſius *ultimi* Donatarii Ducis Petri hæredes, ante Hyppolitum defuncti, niſi ex propria eorum Perſona, & vocationis titulo; ex perſona ſaltem eorum Auctoris, & *Tranſmiſſionis* jure donata bona conſequerentur, ut communiter tradiderunt *Faber in ſuo Codic. in titul. de revocand. donat. defin. 2., Menoch. Conſ. 388. numer. 55., Raudenſis de Analog. cap. 37. numer. 702., Mauſius Conſultat. 262. num. 11.* ibi = *Quod ſine difficultate procedit in caſu præſenti, attento, quod Donator, non ſimpliciter Franciſco donavit, ſed etiam ejus hæredibus, ut in ſtipulatione legitur &c. quo caſu, quando nempe hæredibus eſt donatum, quia tunc præſumitur, quod Donator voluerit etiam Donatarii hæredibus acquiri, VEL EX PROPRIA PERSONA, VEL JURE TRANSMISSIONIS, NULLA EST DUBITATIO, QUOD AD HÆREDES TRANSEANT*

ANT

ANT BONA DONATA, DEFUNCTO DONATARIO ANTE DONANTEM, Fontanell. deciſ. 59. num. 16. Rota coram Durano deciſ. 84. num. 21. ibi = ***Donatio non fuit extincta ejus morte, ſed tranſivit ad hæredem d. L. Si quis argen: &c. Et quando, ut hic, hæredum facta eſt mentio, nulla eſt dubitatio.***

41 Verum enimvero vix erat, ut in caſu de iis omnibus diſputaretur, ubi ſuperſtes Hyppolitus in donatis bonis ſuccedere ***non potuit***; Hic enim, ut ſuperius innuimus, ſe ſua leges, ſuoque facto privavit omni donationis emolumento, ubi primum Sacros ſuſcepiſſet Ordines, & ab inde citra pro effectu ſuccedendi in donatis bonis, perinde æſtimari debuit, ac naturali morte peremptus foret: Quin ſemel illius extincta ſucceſſio reviviſcere unquam poſſet, ***etiam in ſubſidium***, ubi nempe Fratres omnes, ſine Maſculis obierunt. Hoc enim ipſi denegarunt Adverſarii ***in eorum priori Libello §. 17. & ſeqq.***: Hoc rurſus comprobat, quæ pro illis confirmata ***Deciſio eſt coram Urſino §. Et ſecundo quia***: Sublato itaque de medio Cardin. Hyppolito, antequam Petrus obiret; fruſtra ſane quæritur, an ejus ſubſtitutio in caduci cauſam abierit, ſeu potius ad ***hæredes*** tranſmiſſa fuerit, & tanquam ***ex ſuppoſiti defectu*** hujuſmodi ceſſat diſputatio: imo tota ceſſat Adverſariorum contradictio.

42 Si quis enim eſſet titulus, & poſſeſſio, quam illi jactare poſſint; ſolus utique titulus, & ſola poſſeſſio foret, quam ſuper donatis Bonis habere poterat Card. Hypoolitis; nam Principa Olympia, cujus Hęredes ſunt iidem Adverſarii, ***pro ſe, SUISQUE SUCCESSORIBUS, ET HÆREDIBUS OMNIBUS renunciavit omni Juri, & actioni, quam habere poſſet ſuper bonis Donationis, & Primogeniture de Aldobrandinis, & declaravit Bona omnia poſſidere***, ET VELLE ILLORUM POSSESSIONEM CONTINUARE TITULO, ET VIGORE SUPRADICTI TESTAMENTI, ET NON ALITER, ALIAS NEC ALIO MODO, ***Summario num. 13. litt. A.*** Sed Cardinalis Hyppolitus, ut modo vidimus, a Donatione penitus excluſus, nullum jus, nullamque actionem in donatis bonis aquirere unquam potuit, & nonniſi quam vitioſam, & illegitimam ab inermibus Pupillulis Filiabus Ducis Petri, queis tanquam Tutor, & Curator præerat, impunè eripuit. Nihil ergo erit, quod contra noſtram expeditiſſimam actionem opponere poſſint Adverſarii, & ex defectu cujuſlibet Juris, & Tituli, & ex vitio occupatæ Bonorum poſſeſſionis, ne legitimi quidem ſunt contradictores, quemadmodum

eſſe

Digitized by Google

eſſe nequiverat idem Cardinalis Hyppolitus, a quo illi cauſam habere tantum poſſunt, ex animadverſis per *Ripam in cap. Sæpe num.* 19. *de Reſtitut. Spoliator.*, *Angel. de legitim. Contradictor. qu.* 7. *num.* 87., *Guido Papa deciſ.* 629., *Rota cor. Mohedan. deciſ.* 40. *de reſt. Spoliat.*, *& cor. Puteo dec.* 25., *&* 151. *lib.* 3.

44 In hoc autem uno perorata Cauſa foret: & provocamus equidem contrarios DD. Defenſores, ut antequam ullas, ſi quas habent, opponant exceptiones, fatalem hujus Olympiæ RENUNCIATIONIS, & Cardinalis Hyppoliti INCAPACITATIS exſolvant nodum, neq peremptorium objectum ſolito prætereant ſilentio. Verum enim vero, quæ erit illorum exceptio, quam poſſent opponere, etiam ſi legittimi eſſent Contradictores? Contra illos ſtat certa, & inconcuſſa Juris *regula*, expreſſa Legum ſanctione, & communi Doctorum, & Tribunalium ſententia munitiſſima, ex qua huc uſque docuimus, *in hoc noſtro caſu locum eſſe Tranſmiſſioni*; quam illi perperam impugnant. Ut ergo hanc excutiant regulam, *limitationem* afferant neceſſe eſt æque claram, & certam, & Legis, & Doctorum pariter auctoritate roboratam, ut eſt eadem regula: Alias, & in quacumque vel minima interjectæ limitationis dubietate, *Regula* prævalet, ſuaque vi immota perſtat nullis moliminibus conterenda, ex vulgatis per *Rotam deciſ.* 476. *num.* 8., *& deciſ.* 646. *num.* 22. *cor. Molin. & in Romana Stagni* 17. *Iunii* 1754. §. 7. *cor. Emo D. Card. Caprara*.

45 Nihile tamen proferunt Adverſarii, quod noſtræ *Regulæ* vires, *ne in minimo* quidem lædat. Perperam namque illius limitationem repetunt *a Primogenitura*, quam noſtra continet Donatio; Præprimis namque ad noſtrum caſum non pertinet *Primogenitura*: Deinde vero ea noſtram Regulam non limitat, ſed illam potius confirmat, & auget. Non autem pertinet ad caſum noſtrum *Primogenitura*, quia *ſub hoc Dubio de Donatione tantum* agimus: Et Donationem quidem a Primogenitura diſtinguere ſemper aſſuevit Sacrum iſtud Tribunal: Primogenituram namque per obitum Fratrum de Aldobrandinis *ſine Filiis Maſculis* jam extinctam, *& reſolutam* cenſuit: Et e contrario *Donationem*, nec reſolutam, nec extinctam judicavit *in Deciſionibus* omnibus, quæ hactenus in Cauſa prodierunt, & præ cæteris illis *in noſtro Summario* relatis *ſub numer.* 19. *litt. H.*, *& per tot.*; Idque inſuper confirma-

tum

tum nuperrime fuit ex conſultiſſimo R̄morum PP. *Reſcripto*, a quo *Dubiorum* diviſio injuncta fuit, quorum alterum *de vocatione ad Primogenituram tantum*; Alterum verò *de Tranſmiſſione Donationis*, *ſolum* inquireret.

46 Perperam igitur *Donationem cum Primogenitura* confundit Adverſa Pars, quæ ad noſtrum caſum trahenda non eſt; immo, cum expiraverit prius, ac incæperit; ideo vix eſt, ut de ea ulla habeatur ratio. Evanuit equidem *Primogenitura*, antequam inciperet, quia hæc incipere non poterat, niſi *in Filiis* Ioannis Georgei, & poſt illius mortem, ſi Filios Maſculos reliquiſſet. Nam quod incipere non poſſet, niſi poſt mortem Georgei, & ab ejus Filiis Maſculis, plene probat ipſius Inſtrumenti litera, ubi *poſt mortem ejuſdem Joannis Georgei* vocatur ejuſdem *Filius Primogenitus*, *ſi ſupererit*, *ſin minus ejus Deſcendentes Maſculi ordine Primogenituræ*, *ut in Summario num. primo litt. H.*, & rurſus confirmat Deciſio *Urſini in noſtro præcitato Summario num.* 19. *litt. G.*, in hæc verba loquens = ibi = DONATIO A QUINQUE FRATRIBUS STIPULATA CUM SUCCESSIVA PRIMOGENITURA GRADUALI POST MORTEM IOANNIS GEORGEI ORDINATA = Si vero poſt mortem Ioannis Georgei nulli liberi ab eo relicti ſunt; ergo *Primogenitura* non incæpit, quia nonniſi, quàm a Filiis Maſculis ejuſdem Ioannis Georgei incipere eadem poterat.

47 Cum autem *in Filiis* Joannis Georgei non incœperit Primogenitura, fieri non potuit, ut in illius Fratribus proſequeretur: cum inſuper omnes, vel civiliter, vel naturaliter mortui jam eſſent: Non enim ſolus Hippolytus, ſed etiam Aldobrandinus ſacrum voverat cœlibatum, ut in *Summario num.* 2. *lit.C.* & etiam ipſe, ſicuti Dux Petrus, ante Joannem Georgeum prædeceſſerat. Et primogenialis quidem ſucceſſionis ordo adnectitur *ſolis Filiis*, & Lineæ Maſculinæ eorumdem Fratrum, non ſecus ac *ſolis Filis*, & Lineæ Joannis Georgii; immò etiam in præſcribendo ordine primogeniali, quoad Deſcendentes Hippolyti, plena habetur relatio ad id, quod diſpoſitum fuit in Linea Joannis Georgei: & quoad Deſcendentes Petri, ad id quod ſtatutum ſupra fuit de Lineis dictorum DD. Joannis Georgii, & Hippolyti, ibi = *Servato gradu*, *ET ORDINE PRIMOGENITURÆ*, *PROUT SUPERIUS DE LINEIS DICTORUM DD. JOANNIS GEOR-*

GEORGII, ET HIPPOLYTI diſpoſitum eſt = Summ. num. 1. litt. Q.

48 Jam verò, ſi *ſoli Lineæ Maſculinæ* cæterorum Fratrum de Aldobrandinis *primogenialis* ordo adnexus inſpicitur, non ſecus ac adnexus fuit *ſoli Lineæ Maſculinæ* Joannis Georgii; patens exinde eſt, primogenialem eumdem ordinem ab ipſis ſolis Fratrum *Filiis* incipere debere, à quibus tantum incipit *Linea*, & nunquam à Fratribus, à quibus initium habere non poterat Linea, cui ipſi originem præſtare debuerunt, *ad notos Textus in cap. quod dilecto, & cap. ultimo de conſanguinitate, affinitate, & ibi Gloſ. Soccin. Sen. conſ.* 81. *numer.* 1., *& ſeqq. Peregrin. de Fideicommiſſ. artic.* 22. *num.* 24., *& Rot. deciſ.* 6. *num.* 21., *& ſeq. part.* 5. *tom.* 1., *& deciſ.* 575. *num.* 5. *par.* 19. *tom.* 2. *Recent.*

49 Etſi rursùs diſpoſitum priùs fuerat, primogenialem ordinem incipere debere à ſolis Filiis Joannis Georgei; idem utique initium in ſolis Filiis cæterorum Fratrum præſcribi voluiſſe, manifeſtum eſt; quotiès inter utramque diſpoſitionem interjecta relatio expreſſim fuit, cujus ea notiſſima virtus eſt, ut utrique diſpoſitioni eamdem influat qualitatem, modum, & naturam. *Rota in Ariminen. Primogenituræ de Gridulphis* 13. *Junii* 1755. §. 8. *coram bon. mem. Vicecomite, & in Romana Cenſuum* 22. *Junii ejuſdem Anni* §. 7. *coram clar. mem. Card. Buſſio.*

50 Nil ergo minùs voluerunt Aldobrandini Fratres, quam quod, ubi nulli nati forent maſculi, inter ipſos locum habere deberet Primogenitura, quæ nonniſi, quàm ad ipſorum Filios, & Deſcendentes maſculos referri poterat; quemadmodum ipſimet non obſcurè declararunt, ubi cum illa ſalutari *clauſula* finem Inſtrumento imponere ſatagerunt, qua profeſſi ſunt = *Præfata omnia feciſſe modis ſuperiùs expreſſis ERGA SEIPSOS IN CASIBUS PRÆFATIS, ET RESPECTIVE' AD EORUM DESCENDENTES, ut in Summario num.* 1. *litt. DD.* Exindè namque præcisè monere viſi ſunt, Primogenituram feciſſe in ſolo caſu, quo Filii Maſculi orirentur, & reſpectivè ad eorum Deſcendentes, nunquam tamen ad ſe ipſos, erga quos in prædictis caſibus reciprocam tantum *Donationem* ſtipulati ſunt, proùt ingenio ſuo præſefert adverbii illius = *reſpective* = ſignificatio, quæ unam ab altera diſpoſitionem ſeparat, & diſtinguit, nec patitur, ut quod alteri tantum congruit, ad alterum referatur, ut ſpeciatim *Gratian. Diſcept.* 205. *num.* 9. *Rota coram Cavalerio deciſ.* 581. *numer.* 3., *& deciſ.* 545. *num.* 6. *par.* 2., *&* 3. *deciſ.* 340. *num.* 12. *par.* 19. *tom.* 1. *Recent.*

51 De-

51 Deque cætero naturæ minimè congruit, immò ab ea abhorret plurimum, ut *inter Fratres* primogenialis ſucceſſionis ordo concipiatur: Nam Frater non generat Fratrem, ut bene notat *Lecirier de Primogen. quæſt. 4. lib. 11. art. 6. ſuper conſuetud. Pariſien. Manſ. conſul. 226. num. 16. Tor. de Primogen. par. 1. cap. 41. §. 2. numer. 77.* ibi = *PRIMOGENITURA dicitur reſpectivè AD GENITURAM, & ſic datur IN FILIIS ipſius Patris NON INTER FRATRES; quia FRATER NON GENERAT FRATREM* =, *& par. 2. quæſt. 6. num. 22.* ibi = *Deſumitur habuiſſe in mente VOCARE FILIUM PRIMOGENITUM POST PATREM, NON VERO FRATREM: QUIA FRATER FRATREM NON GENERAT*. Præterquamquod inauditum eſſet à Sæculo paradoxum, ut in ipſis Inſtitutoribus Primogenitura ſuum habeat initium.

52 Si qua igitur eſſet limitatio, quam *à qualitate* Primogenituræ mutuari poſſent Adverſarii, eam nequaquam trahere poſſunt ad hunc caſum, ubi de ſimplici *Donatione* quæritur inter Aldobrandinos Fratres, inter quos, & ex ipſorum voluntate, & ex naturæ inſtituto, nec ulla fuit, nec eſſe potuit *Primogenitura*. Sed nulla prosùs eſt limitatio, quam ab ipſa qualitate primogeniali carpere poſſint Adverſarii, immò hæc ipſa primogenialis *qualitas* ea punctim eſt, quæ ubi reperitur, tranſmiſſionis regulam, nedum non limitat, ſe potiùs confirmat, & auget. Quandoquidem, licet *in Teſtamentis* tranſmiſſio regulariter non detur, ubi ſubſtitutus ante ſubſtitutionis caſum deceſſerit; nihilotamen minus, ubi *Primogenituræ*, & Majoratus in Teſtamentis ordinantur, *Tranſmiſſioni* locus etiam eſt; quia primogenialis qualitas hoc potiſſimùm exigit, ut de ea judicetur, ſicuti de conditionata ſtipulatione judicaretur. Nam in Primogenituris, non ſecùs ac in conditionalibus contractibus *ſpes certa*, & firma ſtatim oritur pro ultimo ſubſtituto, quæ ad Filios, & hæredes tranſmitti poteſt.

53 Ita unanimi ſenſu tradunt *Tiraquel. de Primogenitur. quæſt. 40. num. 67.* ibi = *Hoc Jus Primogenituræ videtur TRANSMITTI, ſive comparemus juri accreſcendi, ſive SPEI COMPETENTI EX CONTRACTU CONDITIONALI, per §.* Ex conditionali *de verb. obligat. Nam negari non poteſt, quin ſpes conſequendi ſit ejuſmodi Juris, & equidem firma, & invariabilis. Ideoque non obſtat* Lex unica &c. *ubi Legatum conditionale, ante conditionis eventum non*

tran-

tranſmittitur ; quia magnum eſt diſcrimen , an quid debeatur ſub conditione in ſpe ex ultima voluntate , an ex contractu &c. IGITUR DE HUJUSMODI JURE DEBEMUS JUDICARE , SICUT DE CONTRACTU , CUJUS SPES CONDITIONALIS TRANSIT IN HÆREDEM , UT SUPRA DIXIMUS ; Et præciſe *Tor. de Majorat. part.* 1. *cap.* 34. §. 5. *part.* 1. *num.* 104. ibi = *Quæ diximus ſupra , non dari Tranſmiſſionem in Fideicommiſſis in Teſtamento inſtitutis , NON PROCEDUNT IN PRIMOGENITURIS , IN QUIBUS CUM A PRINCIPIO CENSEATUR IRREVOCABILITER JUS QUÆSITUM , DE EIS ITA EST JUDICANDUM , UT DE CONTRACTIBUS* ; Et perbellè *Grotius de Jur. Belli , & Pacis libr.* 7. *Tom.* 2. §. 22. ibi = *Eſt alia quædam Succeſſio in Regnis , ſcilicet , & PRIMOGENITURIS , in qua obſervari ſolet Jus tranſmittendi futuram ſucceſſionem ex ſpe , quale ſcilicet Jus eſt in iis , quæ ex STIPULATIONE conditionata debentur* .

54 Quod ſi primogenialis ipſius ſucceſſionis jus , ubi in Teſtamento conſtitutum fuerit , ideo tranſmiſſibile reputatur , quia comparatur cum conditionali *Contractu* , ejuſdemque generis eſſe creditur , ac ſpes , quæ ex conditionata ſtipulatione proficiſcitur ; Quare non ita , & multo magis erit judicandum , ubi non per ſimplicem comparationem , ſed *per rei veritatem* idem Jus Primogonituræ in *Contractu* conſtitutum dignoſcatur ? Nemo equidem huc uſque dubitare potuit , quin ſi Primogenitura in *Contractu* erecta fuerit , & *ultimus* in ea ſubſtitutus Donatarius, ante *primum*, & pendente conditione præobierit , ex ipſa generali diſpoſitione juris *in* §. *ex conditionali de verborum obligat.* donata Bona ad ſuos tranſmittat hæredes : *Ita Oldrad. in celebri Conſilio* 224. *num.* 27. , qui DE PRIMOGENITO loquitur . Idem de PRIMOGENITO agens conſuluit Caſtren. *Conſil.* 164. *nu.* 5. , *&* 6. *Volum.* 2. Pariterque de PRIMOGENITO tractantes tradiderunt *Panormitanus Conſil.* 85. *num.* 3. *libr.* 1. , *& Decius Conſil.* 43. *num.* 12. , *& Ludovic. Bellus Conſil.* 20. *num.* 10. Optimè *Surdus conſil.* 403. *a num.* 2. *ad* 5. *tom.* 3. ibi = *Sicuti igitur fideicommiſſum ordinatum in CONTRACTU pendente conditione* tranſmittitur , *ITA ET MAJORATUS , qui videtur adeo fideicommiſſo exæquatus , ut quæ de uno dicuntur , vindicent quoque locum ſibi in aliis . . . . . Jus PRIMOGENITURÆ FACTÆ IN CONTRACTU TRANSMITTITUR AD HÆREDES* . Et latiſſimè hanc iu-

Digitized by Google

Primogeniis quæſtionem excutiens *Giurba de Succeſſione Feudali* §. 2. *Gloſs.* 10. *numer.* 72. *& ſeqq.* ibi = *Dixerunt, primogenium eſſe jus actualiter competens, & ideo tranſmiſſibile*, SICUTI QUAMLIBET SPEM EX CONTRACTU CONDITIONALI = Et ex profeſſo de Primogenituris agentes comprobant *Tiraquel. quæſt.* 40. *num.* 69., *Molin. lib.* 1. *cap.* 1. *numer.* 20., *& Tor. part.* 1. *cap.* 34. §. 5. *num.* 85. juncto *numero* 89. ibi = EX QUO IN PRÆCISIS TERMINI PRIMOGENITURÆ, AUT MAJORATUS IN CONTRACTU DONATIONIS CONDITI, ET ACTIBUS INTER VIVOS INSTITUTÆ, REGULA EST PRO AFFIRMATIVA, QUOD DETUR TRANSMISSIO AD HÆREDUM FAVOREM, ETIAM SI CONDITIO NON ADVENERIT IN PRIMO STIPULATORE, VEL MORTUUS FUERIT DISPONENS ANTE DONATARIUM, VEL ALIUM PROMISSOREM =

55 Quid quod? Ipſimet Aldobrandini Fratres ſpecialiſſime declararunt, quod *in omnibus, & ſingulis ſucceſſionibus, ſi eveniat caſus ſucceſſionis Patrui, & Nepotis unico contextu; tunc eo caſu Nepos excludat Patruum, ut in Summario num. prima litter.* Q. Declararunt igitur Aldobrandini Fratres, quod eorum Primogenituræ *tranſmiſſioni* locus eſſet, quoties Nepotem in omni ſucceſſionis caſu, eoque etiam, quo ejuſdem Nepotis Pater Primogenitus ante ſuæ ſucceſſionis caſum præobierit, Patruo prætulerunt: Scitum enim eſt, celebrem hanc quæſtionem ex Supremorum omnium Europæ Tribunalium judicio, ob eam potiſſimum rationem pro Nepote fuiſſe deciſam, quia nempe illius Pater ſtatim, ac natus fuit, certam, & invariabilem ſuccedendi ſpem in Primogenituram acquiſierit, eamque ſpem, non ſecus ac illam, quæ ex conditionali ſtipulatione promanat, ad Filium, & hæredem ſuum tranſmiſerit, ubi non adhuc adepta Primegenitura deceſſerit, prout referunt, *Tiraquel. de Primogeniis quæſt.* 40. *num.* 69., *& fere per totum*, *Carolus Molineus in conſuetud. Pariſien.* §. 8. *Gloſſ.* 3. *numer.* 5., *&* 6., *Roxas de Incopatibilitat. part. prima cap.* 4., *& part.* 7. *cap.* 6. *num.* 31., *Bellamera deciſ.* 717. *numer.* 6., *& deciſ.* 723. *num.* 17.

56 Patet igitur, Aldobrandinos Fratres nequaquam voluiſſe, ut ab ipſa *qualitate* progeniali ullum erui poſſet argumentum, ex quo Tranſmiſſionis regula in conditionali ſtipulatione læderetur; dum ſi inter eorum Deſcendentes, inter quos conſtituta Primogenitura ab illis

illis erat, voluerunt; ut locus eſſet Tranſmiſſioni; ex qua Patruo Nepos præferri poterat; Multo idcirco magis *tranſmiſſionem* ipſam obtinere voluiſſe, certum eſt, ubi ultimus ex illis, inter quos nullus primogenialis ordo præſcriptus eſt, omnibus defectis Maſculis, jus illud ſuccedendi in donatis Bonis ex conditionali ſtipulatione quæſitum ad ſuos transferret hæredes. Exibiletur itaque omnis limitatio, quam ab jactatæ Primogenituræ *qualitate* repetunt Adverſarii, & inanibus extollunt vocibus.

57 Omniſque pariter ſtrpitus conticeſcat, quem ſuper *Fæminarum excluſione* ſub hoc etiam *Dubio* inopportune ipſi ciere ſolent Adverſarii. Eadem namque exadverſo huc inducitur confuſio, ex qua *Donatio* cum *Primogenitura* miſceri voluerant: Nec enim, niſi ex confuſione effulgens veritas, & patens juſtitia celari poteſt: Quæ namque a Sacro Tribunali per veteris Deciſionis confirmationem fæminarum excluſio judicata nuper fuit, QUOAD VOCATIONEM AD PRIMOGENITURAM TANTUM, ad Donationis Traſmiſſionem protrahi etiam vellet. At ſuam ſibi teneat Deciſionem Adverſa Pars: Ibi extollat Fæminarum excluſionem. At hic ſunt inanes tumultus, & inutiles clamores. *Tranſmiſſio* fit in hæredes, *aut* ſint fæminæ, *aut* ſint mares, aut ſui, aut extranei ſint: imo etiam ubi *Fiſcus* ipſe ſuccederet, ut plene probat *Olea de Ceſſ. Jur. Tit.* 3. *quæſt.* 10. *num.* 11., *Arias de Meſa variarum reſolut. lib.* 3. *cap.* 42. *num.* 4., *Ricciul. de Jur. Perſonar. lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 36.

58 Neque nos contendimus, controverſa Bona tranſmiſſa fuiſſe in Duciſſam Mariam, *uti Fæminam*, ſed tanquam ultimi Subſtituti Donatarii *hæredem*. Sunt ne etiam a Donatione excluſi hæredes? Non hoc dicere poterunt Adverſarii: cum ſecus edixerint *Deciſiones Rei Judicatæ*, quam illi retulerunt: Nitideque etiam patet ex ipſa ſtipulationis formula, aliiſque Inſtrumenti clauſulis, de quibus *in Summario num.* 1. *lit.G. CC. DD.*; *& mox ſupra ſatis probatum a nobis fuit*. Si ergo Duciſſa Maria, ut Fæmina donata Bona *jure propriæ vocationis*, tanquam in Donatione non compræhenſa capere non potuit; obtinere tamen eadem Bona debuerat *tranſmiſſionis jure*, *tamquam hæres Ducis Petri*; in quo ſatis fuit, ut adeſſet requiſita *qualitas*, ex qua jus illud obtinuit in ipſis donatis Bonis, quod ad ipſam Duciſſam Mariam hæredem ſuam, utcumque ſimili qualitate carentem tranſmittere indubie potuit, ad claſſicos Textus *in Lege Non ſolum ff. de*

reſtitut. in integrum Leg. Si quis Filium ff. de aquir. hæredit., Diſerte *Marcabrun. conſ.*111, *num.*66., & 67. ibi = *Et ſi taxativa tantum appoſita eſt in ſtipulatione, ne hoc jus prælationis immediate ex Donatione proveniens QUÆRATUR FÆMINIS, SED SOLUM MASCULIS FILIIS; non tamen tollit, quin Marcus poſſit de bonis donatis diſponere, vel ad hæredes quoſcumque tranſmittere &c. Fateor enim, quod tales Succeſſores non habebunt jus immediatè EX PERSONA PROPRIA, quia non ſunt comprehenſi in Donatione; ſed HABEBUNT JUS PER VIAM TRANSMISSIONIS &c. QUIA SATIS EST, QUOD QUALITAS REQUISITA IN STIPULATIONE SIT IN TRANSMITTENTE, LICET NON SIT IN HÆREDE, AD QUEM TRANSMITTITUR*.

59 Præclarè *Cancer. variar. par.* 3. *cap.* 21. *num.*149., ibi = *Et ſic ei non obſtare, QUOD HÆRES MASCULUS NON SIT, QUIA SATIS EST TRANSMITTENTEM HABUISSE ILLAM QUALITATEM, QUOD MASCULUS FUERIT* = *Mantic. de tacit. lib.*3. *tit.*21. *num.*20., ibi = *Illud notandum eſt, quod licet donatio fuerit reſtricta ad Filios, vel Deſcendentes MASCULOS TANTUM: tamen ſi tales NON SVPERSVNT, BONA DONATA TRANSEVNT AD HÆREDES; NON QVIDEM JVRE DONATIONIS, QVIA NON SVNT COMPREHENSI, SED JVRE TRANSMISSIONIS* = *Rot. coram* Puteo *deciſ.*273. *num.*8., ibi = *Sed ex quo res erat donata, licet Mater in caſu iſto non veniret ex Donatione, veniebat tamen jure TRANSMISSIONIS &c. & ita etiam erat dicendum in caſu* Soccini, *quod licet ibi Donator in caſu illo voluerit donare tantum MASCVLIS, TAMEN DEFICIENTIBVS MASCVLIS, LICET NON JVRE DONATIONIS, FÆMINÆ SALTEM JVRE TRANSMISSIONIS SVCCEDERE DEBEANT* = & *deciſ.*439. *num.* 13. *par.* 13. *Recentior.*, ibi = *Declaranda, Bona donata tranſire ad hæredes non quidem jure Donationis, quia non ſunt comprehenſi, ſed jure Tranſmiſſionis*, = & innuunt quoque ſæpius relatæ Deciſiones, de quibus *Summario num.*19. *litt.A.*, & *N.*

60 Quoties autem opus non eſt, ut in Tranſmiſſario ea qualitas reperiatur, quæ ſatis eſt, ut in Tranſmittente non defuerit; nihil ſane concludit, quod *qualitas* maſculina, & agnatitia, tanquam perſonalis in morte Petri penitùs extincta ad ejus hæredes tranſgredi non potuerit. Non enim quærimus, ut in Duciſſam Mariam *qualitates* omnes, quæ in Duce Petro ejus

Pa-

Patre erant, tranſgreſſæ fuerint? Quod exigimus illud eſt, ut ad ipſam Mariam tranſmiſſum dicatur *jus* illud, & potentia ſuccedendi in donatis Bonis, quod ob aſſertas ipſas *qualitates* Dux idem Petrus jamdudum quæſierat. ALIUD enim eſt, quod tranſmittatur *qualitas*, *&* *ALIVD* longè diverſum, quod tranſmittatur jus ab ipſa qualitate quæſitum; Nec ideò ejuſdem juris Tranſmiſſio poteſt denegari, quamvis forſan perſonalis eadem qualitas tranſmitti nequiverit. Ea fuit inſignis Theorica *Bartol. in Lege Is poteſt num.8. ff. de acquirenda hæreditate*, quam ſecuti ſunt omnes, & præcipuè *Jaſon. in* §.1. *collat.9. Auth. ab inteſt. venien. Caſtren. conſ.304. num.4. a Ponte de poteſt. Proreg. tit.8. §.8. num.9.*, *Tiraquel. de Primogenit. d. quæſt.40. num.55.*, ibi = *Deinde etiam ſi concedamus EAM QVALITATEM non tranſire in nepotem, nihilo tamen minus tranſit POTENTIA ſuccedendi EX EA QVALITATE PRODVCTA* = *Giurb. de ſucceſs. Feudal. cap.118. §.2. Gloſs. num. 62.*, ibi = *Docuit nos Bartol. quod licet mortuo Filio Primogenito extinguatur Filiatio, & Primogenitura, ut tranſmitti non poſſit, quaſi non quæſita ante mortem Patris: Rectè tamen tranſmittitur POTENTIA, quam habuit Filius ex illa Primogenitura, ut ſuccedat Patri, quia eſt QVID DIVERSVM, & ſeparatum ab ipſa Filiatione, & Primogenitura &c.* = *& num.83. verſ. Ex iis*, ibi = *Licet QVALITAS non tranſeat in Filium, quando non habuit initium in ejus Patre, tranſit tamen POTENTIA SVCCEDENDI EX EA QVALITATE INDVCTA* = *Seſs. deciſ. Aragon.285. num. 5., & 6., & Crivel. Deciſ. Dolan.146. num.16. Rot. coram Seraſin. deciſ.351. numer. 14., & coram Ludoviſ. deciſ. 201. num.9.*

61 Verum enim verò, ubi ſunt qualitates iſtæ, quarum intuitu Petrus Aldobrandinus ad donatorum Bonorum emolumentum admiſſum tantum fuerit? Nihil aliud fuit ab eo requiſitum, niſi, ut ſuorum Bonorum partem conferret, ſi in omnibus ab aliis collatis Bonis ſuccedere voluiſſet. Sed nullibi in toto Inſtrumento cautum, ut ille ad hoc, ut ſuccederet, maſculus, & agnatus eſſet: multòque minus eſſet Primogenitus; imò nec vocatus fuit ut Filius Primogenitus, ſed tanquam *JVNIOR germanus Frater*, ut *in Summario numer.1. litt.O.*: Nec in eo, ſed in ejuſdem Filiis, & Deſcendentibus *primogenialis* ſucceſſionis ordo præſcriptus tantum fuit, *ut evidenter probavimus præcedentibus* §.§.46., *& ſeq.*

62 Perperàm ergo noſtram Tranſmiſſionis regulam limitandam fore contendunt Adverſarii ab aſſertis *qualitatibus*, quas cum in Duce Petro Contrahentes ipſi minimè requiſierint, fruſtra illi impingere elaborant; adnotata per *Fuſar. conſ.4. num.23.*, *& de Subſtitut. quæſt.403. num.8. Maſcard. de probat. concluſ.1265. num.2.*, *& ſeq.*; *Mantic. de Conject. lib.6. tit.13. num.10. Adden. ad Burat. deciſ.202. num.9.*, *& Rot. in Ariminen. Juriſpatronatus*, *& Fideicommiſſi de Fagnanis 21. Junii 1754. §.25. coram Eminentiſ. D. Card. Molino*.

63 Idemque erit de finali cauſa, ex qua etiam Tranſmiſſionem ipſam denegant Adverſarii. Eam illi reponunt in ſolo agnationis conſervandæ voto, ex eoque tantum motus aſſerunt Aldobrandinos Fratres ad reciprocam inter ipſos Donationem ineundam, ut nempe per maſculos ipſorum Agnationem præſervarent. At ex ipſius Inſtrumenti verbis *in Summario num.1. litt.A.*; & ex ſæpedictis *Deciſionibus* Rejudicatæ pro ipſis Adverſariis jampridem emanatis, certò conſtat = *quod non una fuit cauſa donandi pro conſervatione Agnationis, ſed plures æquè principaliter, mutui ſcilicet amoris inter Fratres, & oneris ſolvendi Principiſſæ Olympiæ annua ſcuta 1200.*; *Ac ulterius, quia ſic Donantibus de rebus ſuis diſponere placuerit*, ut ſunt præciſa verba alterius ex dd. *Deciſionibus in eod. noſtro Summario num.19. litt.C.*

64 Si igitur non una, ſed plures, & æquè principales fuerunt hujuſce Donationis cauſæ; nihil prorſus fuit, ſi altera ex illis defecerit; quia nihilominus Tranſmiſſio noſtra non evanuit, ut ex pluribus hic inutiliter repetendis concludunt ipſiuſmet Rejudicatæ *Deciſiones coram Urſino §. Eademque*, ibi = *Eademque ratione Donationes earum efficaciam abdicativam non minuunt*, VEL EX DEFICENTIA PERSONARUM CONTEMPLATARUM, VEL EX CESSATIONE CAUSÆ FINALIS CONTRACTUS, QUIA ADHUC HIS DATIS CIRCUMSTANTIIS, BONA JURE TRANSMISSO, TRANSEUNT AD HÆREDES = *Et coram Emerix. §. Non conſtat*, *& §. Minus juvat*, ubi inſuper addit=*quod quatenus etiam conſervatio Agnationis dici debuiſſet unica cauſa Donationis*; *adhuc tamen illa deficiente*, BONA AD QUOSCUMQUE HÆREDES TRANSMITTUNTUR: & ut latius *eodem Summario num.19. ſub init.*, *& lit.C.*, *& lit.D.*

65 Maxime quia res non eſt cum illis in quibus, tanquam Maſculis, & Agnatis finalis Donationis cauſa vigere

poſſet

poſſet ; ſed cum Adverſariis, qui à Fęmina quoque deſcendunt, & in quibus propterea eamdemmet agnationis conſervandæ cauſam æque deficere dignoſcitur . Et res inſuper eſt de Tranſmiſſione concedenda hæredi Ducis Petri ultimi Donatarii, qui nullo reſtitutionis onere gravatus eſt, ubi Agnati maſculi omnes defeciſſent; In his autem terminis finalis cauſæ defectus, nedum non impedit, verum etiam viam aperit Tranſmiſſioni favore hæredis ejuſdem Ducis Petri ultimi Donatarii, qui omnibus defectis Agnatis maſculis, citra ullum Adverſariorum, aliorumque vocatorum præjudicium, qui amplius non ſunt, ea uti potuit Tranſmittendi libertate, quæ ipſi tributa videtur, quoties iidem Agnati maſculi amplius non eſſent; qui caſus punctim erat quo ille nullo modo donata bona reddere tenebatur: ut optime ſtatuit inſignis in foro Deciſio *Achillis de Graſſis unica num.*4. *tit. de Donat.*; quam ſequuntur omnes, & præ cæteris *Gratian. diſcept. forenſ.* 388. *num.*16. ibi = *Et perinde eſt, ac ſi dicamus ULTIMO DONATUM, SINE ALIQUO ONERE &c. ita in ſpecie Rota coram Achil. de Graſſis = Mantic. de tacitis, & ambiguis lib.*13. *tit.*21. *ſed cum bonis propriis ULTIMI DONATARII tranſeunt ad ejus hæredes, ut in deciſ. Achal. de Graſſ.*, *Rota coram Puteo deciſ.* 273. *num.*1. *&* 5., *& deciſ.*433. *num.*3. *part.* 13. *recentior.* ibi = *Inquit Rota coram Achilles de Graſſis &c. declarando bona donata tranſire ad hæredes ULTIMI DONATARII, dicens, hæredes ultimi omnium caſum & fortunam capere* =

65 Quod ſi de hac noſtra met Aldobrandinorum Fratrum Donatione loquentes memoratæ Deciſiones Emerix & Urſini eam tranſmiſſibilem judicarunt, haud obſtante finalis cauſæ, & qualitatum defectu, ipſaque fęminarum excluſione; fruſtra igitur exadverſo opponitur quidquid contra edixerint *Deciſiones illæ in Cauſa Remuna Caſtrorum, & Palatii coram Gamaches 7. Julii* 1725., *& coram Calcagnino* 13. *Aprilis* 1731., quæ de diverſa Donatione agentes, de ea nempe Olympiæ ſenioris, (de qua nos agimus ſub alio Dubio) Tranſmiſſionem ipſam impugnarunt, ex eodem qualitatum, cauſæque finalis defectu, & Fęminarum excluſione, in ea tamen ſpecie, quæ tantum diſcrepat a caſu noſtro, quantum a nocte, dies. Inibi namque eadem Olympia ſenior, citra ullum reciprocæ Donationis, & ultro citroque obligatorii Contractus veſtigium, ſed tantum exequens Fratris Teſtamentum donavit illius hæreditaria Caſtra, & Palatium Duci Petro Filio ſuo, & poſt vocatum alte-

terum Filium Hyppolitum, ſubſtituit *Primogenituram*, quæ erat in hac, de qua agimus Donatione; cujus Bona, licet uſque tunc poſſideret, tanquam primus Donatarius Joannes Georgeus; illum tamen non vocavit Duciſſa Olympia, vel quia in eo Primogenitura non inceperat, vel quia voluerat, ut ille tantum ſubſtitutus foret, qui tunc temporis Primogenitus eſſet, quando nempe Hyppolitus occubuiſſet.

66 Cum vero, poſt obitum Hyppoliti, ante Joannem Georgeum donata Bona in Tranſactione ceſſa, & aſſignata fuerint Joanni Baptiſtæ Pamphilio quà hæredi Cardinalis Hyppoliti; eamdem poſtmodum Tranſactionem evertere ſtuduit Joannes Baptiſta Burgeſius, læſum ſe clamitans in jure claro Tranſmiſſionis; propterea quod Joannes Georgeus ejus author ante Hyppolitum defunctus, jus à ſua ſubſtitutione quæſitum ad ſuos hæredes tranſmiſiſſet. At Rota Sententiam protulit, quę tantum declarat = *Tranſactionem exequendam fore, & eſſe* = In Deciſionibus autem Tranſmiſſionis exceptionem rejicit = *quia Suffragantes exiſtimarunt, ſatis eſſe, quod enucleatæ iſpectiones, quoad Tranſmiſſionem ALIQUAM PRÆSEFERRE POSSENT DUBIETATEM, ut exinde Tranſactio tam ſolemnis deberet attendi; ſignanter ad impediendam odioſam avocationem bonorum, quæ fuerunt cum tanta maturitate ceſſa, & aſſignata*, ut ſunt verba Deciſionis *Gamaches die 7. Junii* 1728. §.39.

67 Age vero: ex hac ſola potentiſſima circumſtantia Tranſactionis, quæ, ut ſarta, & tecta ſervaretur, omne ſatis, vel minimum dubium erat, validiſſima inſurgit ratio, ex qua trahenda non ſit earumdem Deciſionum authoritas ad caſum noſtrum, ubi citra omne tranſactionis præjudicium regula proponitur, quam non elidit dubioſa exceptio, ſed ea tantum, quæ indubia, & certa ſit, ut ipſa regula, prout ſupra probatum eſt §.22 *& ſeq.* Sed Tranſactioni accedit Teſtamentum Cardinalis Petri, ubi Hyppolitus ſubſtitutus erat Joanni Georgeo, ſi abſque maſculina ſobole deceſſiſſet; ex quo ut bene inquit *Deciſio Caltagnini* §. 87. = *Cum de facto Princeps Joannes Georgeus præmortuus fuerit ſine Filiis maſculis, nequiverat eidem permitti Tranſmiſſio dd. Caſtrorum, & Palatii ad ſuam Filiam Fęminam hæredem in præjudicium libert diſpoſitionis debitæ Cardinali Hyppolito ultimo maſculo ſuperſtiti, cujus favore præexiſtebat expreſſa ſubſtitutio reciproca per Cardinalem Petrum ordinata in caſu, quo alii ſine maſculina Prole præmorentur* = Sed in noſtra Donatione nullius adeſt reciproca ſubſtitio, quam lædere poſſit concedenda Tranſmiſ-

ſmiſſio; quin etiam, poſt Petrum nullus fuit ſubſtitutus, ut ille ſine liberis maſculis obiiſſet; ad hoc ut, iis... rum jus ab initio quæſitum ſuccedendi in donatis Bonis ad ſuos tranſmitteret hæredes, omni remoto alterius ſubſtitutionis obſtaculo, quod utique tranſmiſſionem ipſam impediiſſet, ut punctim notat à *Port. conſ. 1. num. 50., Gratian. diſcept. Forenſ. cap. 386. num. 16., Rot. in Recent. deciſ. 98. num. 10. & ſeqq. par. 12., & deciſ. 434. num. 1. part. 18. Recent., & in Faventina Diviſionis 4. Aprilis 1753. §. 9. cor. bo. me. Vicecomite*.

68 Accedit rurſus, in eadem Donatione Olympiæ ſenioris nullam ſtipulationis partem egiſſe Joannem Georgeum ex quo, ſicuti eidem Joanni Georgeo jus nullum fuit uſque ab initio quæſitum, ita impoſſibile prorſus erat, ut ad hæredem ſuam tranſmittere idem poſſet, ſicuti præadvertit prima *Deciſio Gam... bes* ſub §. 35. = ibi = *Tamen aliis omiſſis, credebatur tranſmiſſionem procedere non poſſe, quia ex parte Joannis Georgei aſſerti Tranſmittentis NULLA INTERVENIEBAT STIPULATIO AB EO FACTA* = ſicuti ex mente ejuſdem Textus in §. *conditionali requiri notant &c.* = Sed in Donatione Fratrum de Aldobrandinis Petrus ſtipulator etiam fuit, & tribus editis Inſtrumentis ſuam quoque partem contulit, & ipſam Donationem ratam habuit, confirmavitque ſub illa pluries repetita conditione videlicet, *ut ipſe quoque ejus commoditatibus, & bonis frui poſſet, noſtro Summario num. 2. litt. H.*

70 Exindeque nullibi dubium eſſe poterit, quin ab hujuſmodi reciproca Donationis Contractu, qui ultro, citroque obligatorius eſt, ſtipulator ipſe Petrus jus ſuccedendi in donatis Bonis in ipſo initæ ſtipulationis limine, adeptus fuerit, illudque ad hæredes ſuos tranſmittere potuerit. Denique accedit, quod in ea Donatione Olympiæ ſenioris nulla hæredum mentio, nullaque pro illis, nec implicita, nec explicita intercesserit ſtipulatio: Nihil ergo mirum, ſi ubi hæredum compræhenſio ceſſavit, ibi pro Feminis excluſis ſtipulatum fuiſſe minime præſumi potuerit; quia illæ venire non poterant, nec uti Feminæ, nec uti hæredes: ut ſatis explicat ipſamet *Deciſio Calcag. §. 93.* ibi = *Per regularem Feminarum excluſionem ceſſat illa generalis præſumptio, quod in omnibus Contractibus inter vivos ſubintelligatur tacita illa præſumptio ſtipulationis, non ſolum pro ſtipulante*, SED ETIAM PRO HÆREDIBUS, ET SUCCESSORIBUS. In Donatione tamen, de qua nos egimus pluries commemorati ſunt hæredes, & in ſti-

pulatione expreſſim compræhenſi, itaut indubium, & certum ſit, non abhorruiſſe Contrahentes, ut deficientibus Maſculis, ad hæredes utcumque Feminas, & extraneas quoque donata Bona, niſi vocationis jure, ſaltem tranſmiſſionis titulo pervenifſent, ut plene probavimus *ſuperiori* §. 53.

71 Hæc utique *ab extrinſeco* expenſa diſcrimina ſatis, ſuperque forent, ne oppoſitæ Deciſiones in denegatæ tranſmiſſionis exemplum adducerentur. Sed majora *intrinſecus* urgent, quæ peculiares exhibent rationes, ex quibus in ea Subſtitutionis ſpecie, quam præfatę conſiderant Deciſiones, Tranſmiſſio denegari poterat, ob qualitatum, finaliſque Cauſæ defectum, & Fœminarum exclusionem, ſecus ac generaliter judicandum eſt in aliis omnibus Subſtitutionibus, & in ea præſertim, quam noſtra continet Donatio. Sanè quidem Ioannes Georgeus, ut præmonuimus, licèt injunctæ Subſtitutionis tempore Donationis Bona poſſideret, non illum tamen ſubſtituit Duciſſa Olympia, ſed ipſammet Primogenituram = ibi = ET POST IPSIUS HYPPOLITI MORTEM, SUCCEDAT PRIMOGENITURA DOMUS DE ALDOBRANDINIS = *noſtro Summario num. 7. litt. G. in fine*; Sub hac porro abſoluta, & indeterminatæ Primogenituræ Subſtitutione = *adiecta videretur conditio incertæ Perſonæ in futurum certificandæ, ſeu vocata Perſona certa de incertis cum qualitate primogeniali verificabili tempore obitus primi vocati* = ut fere his verbis appoſite notat *Torres de Primogenit. cap. 51. §. 7. num. 52.*; At verò = QUANDO PERSONA ALIQUA INDETERMINATE SUB ALIQUA QUALITATE CERTO TEMPORE NECESSARIO VERIFICANDA VOCATUR, SI ANTE IPSIUS EXISTENTIAM MORTUA FUERIT, NON DICITUR VOCATA, SED OMNINO A DISPOSITIONE EXCLUSA = ut ſunt formalia verba *Caſtilli quotidianarum quæſt. cap. 19. num. 329.*; Et rurſus = QUANDO CONDITIO IN FUTURUM ADIECTA INCERTÆ PERSONÆ EX FUTURO EVENTU VERIFICANDÆ STAT IN VIM DEMONSTRATIONIS, ILLA SOLA PERSONA VOCATA CENSETUR, IN QUA POSTEA VERIFICATUR TALIS CONDITIO, ILLA VERO PERSONA, IN QUA NON EST VERIFICATA, NON CENSETUR VOCATA, NEQUE DEMONSTRATA = ut his etiam verbis ex pluribus probat accuratiſſimus *Valenzuel. conſil. 23. Tom. primo num. 157.*

In

72 In hoc igitur ſubſtitutionis themate merito Sacrum Tribunal denegavit Tranſmiſſionem Hæredi Ioannis Georgei, qui cum mortuus fuerit, ante Hyppolitum, nec in illo primogenialis qualitas, aut conditio tempore ejuſdem obitus reperiri potuerit, minime propterea vocatus in Donatione dicendus erat, nec ideo ullum acquiſiviſſe Ius, quod ad Hæredem ſuam Olympiam tranſmitti poſſet, ut ſatis diſerte explicat *Deciſ. Calcagnin.* §. 91. = ibi = *Obſervatum eſt, quod vocatio per Olympiam facta legebatur directa ad ipſam Primogenituram* = Succedat, & ſuccedere debeat Primogenitura – *Per hujuſmodi autem vocationem non legebatur vocata, ſeu deſignata aliqua Perſona individualiter certa, ſed tantum admiſſa videbatur Perſona incerta de certis, & ita non tam conſiderata videtur individualitas Perſonæ, quàm potius qualitas, per quam illa incerta Perſona determinaretur. Cum autem de tempore Succeſſionis iſta qualitas determinans illam incertam de certis non reperta fuerit in Hærede prædefuncti; dicendum certe eſt, quod de ejuſdem Perſona incerta, & indeterminata, nulla conſideratio, ſeu contemplatio habita fuerit, & conſequenter non ſit admittenda* =

73 Omniſq; prorſus evanuit Io: Georgei ſubſtitutio, quę ſicuti, tanquam a cauſa finali, pendebat a qualitate Maſculina, & Primogeniali verificanda poſt obitum Cardinalis Hyppoliti: ita tunc temporis requirebat ſubiectum habile, in quo ad propoſitum finem obtinendum ea qualitas reperiri poſſet; quæ tamen non erat, nec repræſentari poterat ab Olympia Filia, & Hærede ejuſdem Ioannis Georgei; ſicque omnis defecerat conditio, nec ideo erat Tranſmiſſioni locus, quæ ut obtineat, injectæ conditionis ſemper exigit implementum; ut clare admodum elucidat prima Deciſio *Gamacher* 7. *Junii* 1728 §. ibi = *Autumabat noſtrum Tribunal ad excludendam prætenſam Tranſmiſſionem neceſſarium eſſe advertere, quod quamvis Jus conditionale erat tranſmiſſibile, nihilominus hujuſmodi Tranſmiſſio ſortiri nequibat effectum, ubi ſucceſſive non verificabatur diſpoſitio, & evanuerat volita conditio &c.* : *QUAMOBREM EX QUO NEQUE PRÆCISE NOMINATO PRINCIPE IOANNE GEORGEO, VOCATA FUERAT PRIMOGENITURA ALDOBRANDINA, conſequens erat, quod impoſſibilis reddebatur effectus Tranſmiſſionis, quia in Succeſſore deſtituto qualitatibus indiſpenſabiliter adnexis eidem Primogenituræ, prout erant qualitates Primogeniales, Agnatitiæ, ac Maſculinitatis, nul-*

Digitized by Google

modo poterat verificari conditio volita ad conſequutionem Bonorum donatorum, cum tales qualitates eſſent mere perſonales, oſſibuſque inhærentes, & nequaquam repræſentabiles; unde quoque ſubſequebatur, extraneum eſſe quemcumque diſcurſum de Tranſmiſſione =

74 Explicatius in altera Deciſione 9. *Maii* 1729. *ejuſdem Gamaches* = ibi = *Poſito itaque ex hucuſque probatis, & latius firmatis in præcedenti mea Deciſione, quod Tranſactio obſtabat petitæ Immiſſioni, hoc ſatis eſſe Patribus Suffragantibus videbatur, abſque neceſſitate aſſumendi examen ſuper aliis duobus Juris Articulis, de quibus Defenſores utriuſque partis lato calamo contendebant. Siquidem neque poterat locum habere Tranſmiſſio ſpei debitam iri, ex quo hæc nunquam erat admiſſibilis, quando a principio ipſamet vocatio Primogenituræ dependebat a conditione purificanda, ubi nempe factus fuiſſet locus reſtitutioni Bonorum poſt obitum Cardinalis Hæredis gravati, & quando ulterius eidem vocationi habebatur adjuncta qualitas perſonalis, tanquam cauſa finalis requiſita in Succeſſore, qui eſſe debebat Maſculus Agnatus, & una ſimul Primogenitus: Nam in iſto caſu, deficiente cauſa motiva, & finali diſponendi, ob prædeceſſum Principis Jo: Georgei non valentis ſuam qualitatem perſonalem tranſmittere, inutilis reddebatur ipſamet diſpoſitio, quantumvis ea in Contractu ordinata dignoſceretur. Ac fortius recurrente prætacta circumſtantia purificandæ conditionis poſt mortem Cardinalis, dum talis vocatio conditionalis, & directa ad tempus mortis ejuſdem indiſpenſabiliter requirebat ſubjectum habile, & qualificatum de ipſo tempore, in quo dumtaxat per obitum prædicti Cardinalis vocatio Primogenituræ verificabatur* =

75 In noſtra tamen Donatione Dux Petrus nominatim, & ſpecifice vocatus fuit = ibi = IN DONATIS BONIS SUCCEDAT PETRUS = *noſtro Summario num. primo litt. O.*; Nec ulla propterea in eo requiſita videtur qualitas, quæ verificari deberet eo præciſo tempore, quo præcedentes Donatarii Fratres occubuiſſent; & exulante omnis voluntatis indicio pro verificatione requiſitæ qualitatis præciſe poſt mortem eorumdem Fratrum obitum, ſatis, ſuperque fuit, ut ſi qua eſſet requiſita qualitas, ea in ipſo Duce Petro ſub initæ ſtipulationis principio non deficeret: Commemorare enim juvat, nos eſſe in Contractu, non in Teſtamento = IN STIPULATIONIBUS AUTEM ID TEMPUS SPECTATUR, QUO CONTRAHIMUS, ut ait *Paulus in Leg.* 78. *ff. de verb. obligat.*, & *Gloſſ. in*

Leg.

Digitized by Google

Leg. Uxorem 5. *Cod. de Condit. inſert.* = ibi = QUIA TUNC CEDIT DIES LEGATI ; CUM IAM EST EMANCIPATA , SECUS IN CONTRACTIBUS , UBI INITIUM INSPICITUR = Late *Cujac. ad tit. de verbor. obligat.*, *ad Leg. Si Filius. Famil.* 78. *Tomo primo pagin.* 1216. = Sic ſtipulatio conditionalis Servi , & Filiifamilias utilis eſt Patri , & Domino, quamvis evenerit conditio, ubi ſui juris illi facti fuerint, quia ſpectatur eorumdem ſtipulatorum qualitas eo exiſtens tempore , quo ſtipulatio concepta fuit.

74 Textus *eſt in leg. quidquid* 40. *ff. de ſtipulat. ſerv.* ibi = *Quidquid contraxit Servus , dum Nobis ſervit , etiam ſi ſtipulationem contulit in alienationem, vel manumiſſionem ſuā; tamen nobis id acquiſitum erit quia poteſtas ejus tunc cum id contraheretur , noſtra fuit : Idemque eſt , ſi Filiusfamilias contrahat ; namque etiam quod in emancipationis ſuæ tempus contulerit, nobis debebitur &c.* = Et ſic etiam qualitas cujuſcumque perſonæ ſpectanda eſt eo , quo contraxit tempore , non eo, quo evenerit conditio, ad hoc ut jus ex eo naſcens illi ſtatim acquiri poſſit. *Tiraquel. de retract. lignag. §. primo gloſſ.* 9. *num.* 98. ibi = *Et facit etiam , quod in Contractibus conſideratur qualitas , quæ adeſt de tempore ipſorum Contractuum, non autem conditionis , aut alterius futuri eventus , cum quærimus , cui quid acquiri debeat .* = *Cancer. Var. reſolut. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 111. ibi = *Maxime cum in Contractibus quibuslibet conditionalibus attenditur , cum quærimus , cui quid acquiratur , qualitas Perſonæ tempore celebrati Contractus ; non autem tempore eventus conditionis* = *Coſta de retrotract. cap.* 7. *num.* 11. *& num.* 34.

75 Si igitur noſtræ Donationis compendium ex eo tantum dari Petro voluiſſet , quia erat Maſculus , & Agnatus , quod ne a longe quidem excogitarunt Stipulatores ; ſi in hæc agnatitia , & maſculina qualitas in Petro non deerat , tunc cum hujus Donationis inita ſtipulatio fuit ; Nec propterea evaneſcere ſubſtitutio potuiſſe , utpote quia verificata non eſſet qualitas tempore, quo debuerat : nec opus fuiſſet , ut illa repræſentaretur ab ipſius Petri hæredibus, ne, tanquam defecta conditione, Tranſmiſſio eis non competeret : Cum ſatis ſuperque eſſet , ut ipſæ qualitates ſemel in eodem Petro peractæ ſtipulationis tempore non deficerent , ut *ex proxime dictis* cumulatiſſime comprobatur . Si rurſus præquiſitum foret , ut idem Petrus in donatis Bonis primogeniali ordine ſuccedere deberet , & tanquam Primogenitus (id

quod

quod tamen nequaquam voluerunt Contrahentes , ut evidentiſſimè probatum eſt *ſup.* §.46.,*& ſeq.*)jam ille,ob ſpecificam , & individuam ipſius vocationem uſque tunc,ab ipſo initæ Donationis momento inter plures vocatos Fratres Primogenitos caput ſuæ primogenialis Lineæ ſtatim evaſiſſet,& jus illicò acquiſiviſſet ad ſuccedendū in donatisBonis,quod ad ſuos tranſmittere ad hæredes poſſet , ut communi calculo comprobarunt *Avendan.ad Leg. Taur. leg.*40. *Gloſſ.*18. *num.*29.*Caſtil.Quotid. Iur. quæſt. lib.* 3. *cap.*19. *num.*190. ibi = *Quando vocatur Petrus , & ſuus Filius Major , & Deſcendentes majores , quæ eſt prima Linea , & eis deficientibus, Joannes , & ſuus Filius major , & ſic de ſingulis ; tunc capita Lineæ ſunt primo vocati , & ſtatim habent jus indubitabile Primogenituræ , ſive in prima , ſive in ſecunda , ſive in tertia Linea , & poſſunt ad alios tranſmittere* = Et cœteris relatis, *Torres de majorat. part. prima coput.*35. §.5. *num.*213. ibi = *Linea non ſolum incipit ab eo , qui ſucceſſionem actu tenuit , ſed etiam incipit ab eo , QUI SPECIFICAM , ET NOMINATAM VOCATIONEM HABET : Nam jus certum , & invariabile ſpecialiter, & nominatim vocato radicatum fuit voluntate Fundatoris expreſſa , & licet vocatus ad majoratum non ſucceſſiſſet , quia ejus vita non venit tempus ſuccedendi , tamen illud jus ſpeciale ab Inſtitutore conceſſum per nominationem expreſſam IN EIUS POSTEROS DERIVATUR .*

76 Quapropter ea apud omnes certiſſima invaluit ſententia , Tranſmiſſionem nunquam in Majoratibus in Contractibus conſtitutis impugnari poſſe , niſi quando ſuperaddita conditio fuerit , qua expreſſim a Fundatore declaretur,ejus voluntatis eſſe , ut ex omnibus vocatis ille tantum ſuccedat , qui ſucceſſionis tempore primogenitus erit , ut erat caſus Donationis Olympiæ Senioris,& Deciſionum in Cauſa *Romana Caſtrorum , & Palatii* : Aliàs ad hoc ſatis ſit , ut ſimpliciter vocatus fuerit Primogenitus , qui cum vi ſuæ vocationis ſtatim , ac oritur certam , & invariabilem ſpem ad Primogenituram acquirat , eam , licet nunquam in Primogenitura ſucceſſerit,ad hæredes ſuos tranſmittere ſemper poterit, ut diſtinctis caſibus,ſolidè probant *prçeit.Avendan.adLegem Taur.*40*Gloſſ.*18.*n.*13.,*&* 17.,*&* 29.*Surd.Conſ.*430.*n.*57. *Rauden. de Analog.cap.*15.*n.*275,*& ſeq. Altograd. Jun. controv.* 59. *per tot. , & ſignanter num.*31. *cum ſeqq.* ibi = *Quibus ita firmatis,non obſtant Doctores ſupra in ob-*

objecto allegati, *quia omnes*, *nemine excepto*, *loquntur in terminis ſecundi membri diſtinctionis a nobis in principio ſuperius propoſitæ*, *videlicet*, *quando Teſtator ſuam diſpoſitionem expreſſe ad tempus præciſum evenientis conditionis limitavit*, *ut quando dixit* = *Succedat Primogenitus ille*, *qui de tempore purificatæ conditionis extare reperietur*=*Cancer.variar.part.3.cap.21. de transmiſſ. num.*106. ibi=*Salvari poſſet dicti Alciati*, *& Peregrini Sententia*,*ubi conſtaret*,*Donatorem voluiſſe facere expreſſam conditionem in perſona Subſtituti*, *ut ſuperius dictum eſt*, *quo fit*, *ut ſi conventum eſſet in pactis Dotalibus*, *ut major natus*, *ſive Primogenitus ex Filiis tempore mortis Parentuum ſuccederet* : *procedere dicta Sententia*; *nam cum tunc vocentur ſub illa qualitate tempore mortis*, *debet reperiri tempore*, *quo ſucceſſio defertur*,*ut notat Baldus*, *& Velaſq. de jure Enphiteut: quæſt.*50. *& c. ubi dicit*=ſecus eſſe procul dubio,ubi Primogenitus , & major natus ſimpliciter eſſet vocatus =

77 Vident igitur Reverendiſſimi PP. DD.,quam fruſtrà extollantur *Gamaches*, *& Calcagnini Deciſiones*, & quam malè ad noſtrum detorquentur caſum , qui cum eo, de quo in illis agitur,longo diſtat intervallo . Hoc tamen etiam vidit Adverſa Pars , & Deciſiones iſtas ad rem noſtram minimè facere apertè in anteactæ Propoſitionis Replicatione ingenuè confeſſa eſt, ideoque alio niti repagulo elaboravit , ut deſperatæ defenſionis pondus aliquo ſaltem tempore ſuſtineret:Cumque illa tantũ noſtræ Tranſmiſſionis regulæ limitatio a Tribunalibus recipi conſueverit , quæ veniat ab expreſſa , & ſpecifica conditione *ſuperviventiæ*Stipulatoris; eam ad noſtrũ Caſum attractis, ut inquiunt , funibus traducere adnixa eſt . Sed inani prorſus conatu. Regula enim noſtra mortem,& vitam potiſſimum conſiderat , & quamvis Stipulator obierit,antequam conditio eveniet , nihilo tamen minus ex eadem regula cautum ſpeciatim fuit , ut ad ſuos heredes , tranſmittere poſſit quæſitũ jus,& actionem ad literam toties memorati *Textus in §. Ex conditionali*,& ubique DD.,& Tribunalia . Si ergo vellemus , ut idem ſuperviveret Stipulator ad hoc, ut locus eſſet Tranſmiſſioni , actum foret de regula , & nunquam eſſet Tranſmiſſioni locus .

Ne

79 Ne igitur regulâ penitùs deſtruatur, id omnino exigitur, ut expreſſim, & ſpecificè ejuſdem ſupervenientiæ adjiciatur conditio per ea formalia verba = *Si ſupervixerit* =, *ſi ſuperſtes fuerit* = Alias tacita non ſufficiat, quæ per argumenta, & illationes undequaque colligi potuiſſet, ut ſcitè admodùm declarant *Craſſ. recept. ſent. §. legatum quæſt.47. Cancer. variar. dicto cap.21. num.98.*, ibi = *In ſtipulatione dictum erat, ut Dos reſtitueretur, SI MATER SUPERVIXISSET FILIÆ ......, poſteriori verò caſu nulla adeſt expreſſa conditio, ſed tantum tacita, quæ transmiſſionem non impedit = Noall. de Tranſmiſſ. cap.5. num.5. Fontanel. de pac. nuptial. gloſſ.4. num.38., Rocc. diſput. jur. cap.109. num.13. Velaſq. de jur. emphyt. quæſt.50. num.14., Hodiern. ad Surd. deciſ.44. num.4.* ibi = *In alio caſu adeſt expreſſa conditio in ſtipulatione*, = *SI MATER SUPRAVIXISSET FILIÆ = quæ impedit transmiſſionem; Secus vero in TACITA, quia illa Tranſmiſſionem non impedit = Rota deciſ.9. num.35. part.7. Rec.*

80 Et maximè, ubi *de ſtipulata* ſucceſſione quæratur: In ea ſiquidem nunquam tranſmiſſio concederetur, ſi ſupervenientiæ conditio tacita ſatis eſſet; ea namque unicuique conditionali ſtipulatæ ſucceſſioni ſubeſſe dignoſcitur; Nemo enim alteri ſuccedere poteſt, niſi ſuperſtes eidem ſit; Ideoque nemo unus huc uſque dubitavit, quin ſuperviventiæ conditio tranſmiſſionis regulam non infringat, ubi a *Succeſſionis* verbo deducatur, ut firmiter dudùm ſtatuit S. Auditorium in celebri *Cauſa Firmana Bonorum, ſeù Donationis 9. Maii 1707. cor. clar. mem. Card. Priolo §. non obſtante, & ſeqq.*, ibi = *non obſtante quod Filii, non niſi poſt mortem Euphemiæ Matris ſuccedere, & ſic eidem ſupervivere debuiſſent, ubi declaratum dicitur in Inſtrumento Donationis &c.; Enim tunc ſolummodò Tranſmiſſio impediri potuiſſet, QUANDO CONDITIO SUPERVIVENTIÆ FUISSET VERBALIS, ET EXPRESSA, qualis reputari non poteſt illa deſumpta ex prædicto verbo = SUCCEDANT = nedum quia illud non refertur ad ſuccedendum Euphemiæ, ſed ad Succeſſionem in Donatione; verum etiam, quia ex eo ad ſummum inferri poſſet tacita, ET SUPERINDUCTA CONDITIO SUPERVIVENTIÆ eorumdem Filiorum; quæ ſane ſubaudita, & tacita conditio, licet defecerit ex eo, quò Filii prædeceſſerint Matri, ADHUC IMPEDIRE NON VALET TRANSMISSIONEM BONORUM DONATORUM.*

At

81 At verò expreſſam ſuperviventiæ conditionem haudquaquam afferunt Adverſarii. Eam iidem repetunt ab illis verbis = *Succedat Petrus, ſi habilis ad ſuccedendum erit* = Dicunt enim neminem poſſe eſſe habilem ad ſuccedendum, niſi ſupervivat, & inde ſuperviventiæ conditionem adjectam proclamant. At hæc punctim eſt illa tacita conditio, quæ ut modo vidimus, ex communi *Doctorum traditione*, & momentoſa, & ſpecifica *Sac. Tribunalis auctoritate* probavimus, noſtram regulam non limitat. Nec mutat, quod ſucceſſioni habilitas adjecta fuerit; non enim majus ſuppeditat argumentum habilitas, quam ſucceſſio. Nam eadem eſt conſequentia, quæ venit ab argumento = Si habilis debuerat eſſe ad ſuccedendum; ergo etiam vivus eſſe debuerat quam altera = Si alteri ſuccedere debuerat; ergo debuerat, etiam eſſe vivus = Immo potius ex eadem adjecta habilitate omnino prorſus evaneſcit ſuperviventiæ conditio, quam ſibi fingunt Adverſarii; Unaquæque ſiquidem habilitas in vita acquiritur, nec poſt mortem aquiri valet; Et habilis ad ſuccedendum unuſquiſque poteſt eſſe, antequam ſuccedat. Videndum igitur eſt, quo tempore voluerint Contrahentes, ut Donatarii in donatis Bonis ſucceſſuri habiles fierent ad ſuccedendum. Itaque tota habilitas à negativa promanat conditione, non ſuſcipiendi nimirum Sacros Ordines, nec Monaſticam profitendi vitam, unde legittimæ gignendæ prolis impares evaderent; & caſu quo aliquis eſſet Clericus, declarandi ante vigeſimum ætatis annum, an vellet vitam Sæcularem ducere *Summario num. 1. litt. T.*

82 Nemo igitur dubitabit, quin hanc habilitatem omnes iidem Donatarii in ipſorum vita aquirere potuerint, ſtatimac carnales Nuptias celebraſſent. Tunc enim fieri haudquaquam poterat, ut ſacros ſuſciperent Ordines, aut Monaſticam vitam profiterentur; Et ita ſtatim hæc quæſita habilitas; & impleta habilitatis ipſius negativa conditio, cujus implementum in promptu ſemper eſt, ubi impoſſibilis fiat eventus facti, quod ab eadem negativa conditione denegatur; *ad Textum in Leg. prima §. Si quis proximior ff. und. Cognat. Leg. 2. §. Si verò apud Hoſtes ff. ad Sen. Conſ. Trebell., Antunes de Donat. lib. primo prælud. 2. §. 2. num. 169.*; *latè Torres de Primogen. part. prima cap. 25 §. 20. num. 218. Rot. apud Manſ. conſult. 64. num. 15. in Recen. deciſ. 43. num. 6.*, *& 19.*, *& deciſ. 208. num. 8. part. 14.*

83 Si ergo Dux Petrus jam a primo juventutis flore, & an-

ante vigeſimum ætatis annum Uxorem duxit, & liberos ſuſcepit: ergo jam uſque tunc habilis erat ad ſuccedendum, neque ad hanc habilitatem aquirendam neceſſe fuit, ut alteri ſupervixerit; Ergo ipſamet ſucceſſioni adjecta habilitas non auget, ſed perimit omne argumentum, quod pro aſſerta ſuperviventiæ tacita conditione inaniſſimè ex eadem habilitate aſtruunt Adverſarii; Et alias, cum ille ultimus foret Donatarius, qui in donatis Bonis ſuccedere debebat, poſt totam deletam trium præcedentium Fratrum Donatariorum Juvenum Progeniem; exinde manifeſtè patet, quam longè abfuerit a mente Contrahentium, quod idem Petrus vivus eſſe debuiſſet poſt extinctam illam, æternam, quæ ſperabatur, Nepotum ſeriem, ad hoc ut ipſa commiſſa ſtipulatio foret, quæ ejuſdem Petri Hæredibus in ipſa Donatione comprehenſis per tranſmiſſionis beneficium fuiſſet profutura.

84 Nec ideò eſt, cur huc afferatur *Marciani* reſponſum in *Leg. Quæ de pariter ff. de rebus dubiis, & Alciati Conſilium* 3. *lib.*8., aliorumque ſi qui ſint, auctoritas, qui tranſmiſſionem limitare videntur, ubi ante eventum conditionis deceſſerit Stipulator; quia illi non in alio loquuntur, nec alio attendi merentur themate, niſi in eo, quo cautum expreſſim fuerit inter Contrahentes, ut Stipulator ipſe ſuperſtes eſſe deberet, nec ſtipulationi locum eſſe, niſi eo vivo extaret conditio, ut rectè declarant *Bald. in dicta Lege quod de pariter*, quem omnes ſequuntur, & ſpeciatim *Fontanell. dicta clauſ.* 4. *Gloſſ.* 24. *a num.*35. *ad plur. ſeqq.*, *Cutel. de Donat. dicta ſpecial.* 37. *num.*12. *in fin. de Marin. quotid. reſol.*4. *cap.*88. *lib. primo per tot.* latè *Rocc. diſp. ſelect. cap.* 93. *num.* 13., *& ſeqq.*, *Capyc. Latr. deciſ.* 2. *num.* 14., *& ſeqq. deciſ.* 169. *num.* 23., *& ſeqq.*

85 Et Alciatum ipſum, & Aſſeclas confutando, vel conciliando *Cancer. variarum dicto cap.* 21. *num.*106. ibi = *Salvari poſſet prædicta* Alciati, & Peregrini *Sententia, ubi conſtaret, Donatorem voluiſſe facere EXPRESSAM conditionem, ut ſuperius dictum eſt* = *Noall. de tranſmiſſ. caſu primo num.* 198. ibi = *Subdeclaratur iſta declaratio, ut non procedat quando appoſita eſt conditio NOMINATIM EXPRESSA, eademque conditio defecta eſt, ut in Leg. Quod de pariter ff. de rebus dubiis, & hoc modo intelligitur Doctrina Peregrini &c. Hodierna ad Surdum deciſ.* 144. *num.* 5., *&*

Rot.

Rot. di Ha deciſ.142. num.8. part.4. tom. primo Recen, ibi = *Nec viſum eſt ob ſtare* Conſilium *Alciati, quem ſequuntur Modern. de Fideicomm. &c. quia, ultra quod* CONTRARIUM EXPRESSE' *firmant omnes &c. intendebatur etiam in caſu, quo Alciati Donatio erat facta, ſi Michael eſſet ſuperſtes Petro &c. quod verbum* = Superſtes = *repugnat tranſmiſſioni &c. In caſu autem noſtro Marius non fuit vocatus ſub conditione, ſi* eſſet ſuperſtes. =

86 Nulla itaq., nulla prorſus Adverſariis ſuppetit limitatio, quæ noſtrā tranſmiſſionis regulam, ne in minimo quidem lædat; Nihil igitur cunctandum amplius erit, nec ulterius quærendum, *an ſit Tranſmiſſioni locus, & Excellentiſſimo Principali petitu concedatur Immiſſio*. Ubi enim nunc Tranſmiſſionem ipſam *a toto genere*, juxta ab eis oblatam Dubii formulam impugnabunt Excellentiſſimi Domini Adverſarii; fieri non poterit, ut eam amplius excitent quæſtionem, an Tranſmiſſio eadem primo ne, an ultimo ſubſtituto Donatario ſit competitura, & in hoc, an eis potius ſuffragentur editæ Deciſiones, ubi Ducisſa Maria ab impetita Bonorum reverſione rejecta fuit? Si namque omnem penitus denegant Tranſmiſſionem; nil utique minus poterunt, quam ſibi eam tribuere. Verumtamen in Deciſionibus illis id ſolum ſtatutum fuit, quod nempe Donatio noſtra tranſmiſibilis eſſet ad Hæredes: Utri autem ex Collitigantibus tranſmiſſionis ipſius competeret beneficium, id nec quæſitū fuit nec quæri oportebat; De ea ſiquidem non agebat Duciſſa Maria, imò cum reverſionem Bonorum urgeret ex reſoluta Donatione, rem equidem poſtulabat, quæ eidem tranſmiſſioni penitus adverſabatur. Et Olympiæ quidem reæ conventæ ſatis erat occupatam Bonorum poſſeſſionem defendere, ex quo tantum Donatio tranſmiſſibilis in genere judicaretur; nec ulterius quærere debuerat, utri ex Donatariorum Hæredibus eadem tranſmiſſio deberetur; dum ejus Cauſa ſatis tuta erat ex non jure Actricis. Neque vera nihil de tranſmiſſione loquitur Resjudicata Cardinalium Judicum, ſolum declarans = *Donationem nulli reverſioni fuiſſe obnoxiam, proindeque non fuiſſe, nec eſſe locum petitis pro parte dictæ Dominæ Mariæ, nullumque jus, & actionem ratione dictæ reverſionis competere, ac propterea Principiſſam Olympiam ream conventam abſolvendam fore ab impetitis* = ut ſunt Sententiæ verba in noſtro *Summ. num.14. litt.E.*

De-

87 Deciſiones autem in ipſa Tranſmiſſione non ſtatuunt promotæ actionis judicium, ſed eam afferunt, tamquam exceptionem, & tanquam unicam rationem, ex qua petitam reverſionem denegarent, quemadmodum eam tantum denegat edita reſolutio, ibi = *non eſſe locum reverſioni* = *noſtro Summario numer. 19. litt. H.* Imò adeò generice de eadem loquuntur Tranſmiſſione, ut utramque ejuſdem ſpeciem complectantur; alteram, quæ ad exceptionem in illo judicio oppoſitam pertinebat: alteram verò, quæ ad actionem in hac Cauſa promotam ſpectare dignoſcitur. Et prima quidem, quæ *propria* dicitur, jus, & actionem ad ſuccedendum reſpicit, ita ut dicatur eſſe quaſi ſucceſſionis prorogatio; altera vero, quæ *impropria* nuncupatur, rem ipſam, & bona jam quæſita conſiderat, & propriè dicitur *tranſitio*, juxta præcipuam Tranſmiſſionis diviſionem, quam cum pluribus tradit *Noal. de Tranſmiſſ. in Proemio n. 2. & 3.*

88 Ubi igitur ediſſerunt Deciſiones, *Bona Donationis libera remanſiſſe penes Donatarium, & jure tranſmiſſo, perveniſſe ad hæredes*, ut in Deciſione Urſini *in noſtro Summario num. 19. litt. H.*; & ulterius *præſumptionem aſſiſtere tranſieoritati Donationis ad quoſcumque hæredes*, juxta Deciſionis verba coram Emerix in eodem *noſtro Summario num. 19. litt. G.*; de Tranſmiſſione *impropria* egiſſe videntur, quæ ad eum preciſè caſum pertinebat, quo Bonorum reverſio petebatur, quæ ideò denegata fuit, quia Donationis Bona à primo Donatario irrevocabiliter quæſita, ne ad Donantis hæredes regrederentur, in eodem Donatario libera effici debuerant, & ad ejus tranſire hæredes.

89 Quando autem præſtituerunt eædem Deciſiones = *quod hæres ultimi venit caſu, & fortuna, & quemadmodum ulteriores Donatarii, vel comprehenſi; ſi extarent caperent ex vi comprehenſionis, ita hæredes etiam nominati capiunt jure tranſmiſſo, & ſimplici miniſterio, & operatione Legis, ut in præfato Summario num. 19. littera L.* =; tunc de Tranſmiſſione *propria* egiſſe videntur præfatæ Deciſiones, quoties ſtatuunt, hæredi ultimi Donatarii titulo Tranſmiſſionis competere jus ſuccedendi in Donatis Bonis, quæ ſi vivus fuiſſet ultimus idem Donatarius capere potuiſſet jure vocationis: Et tunc noſtrum hunc caſum acu propemodum tangere videntur eædem ipſæ Deciſiones, & Duciſſe Mariæ tutam in-

in nuere viam, qua Bona Patris ſui ſibi tutò poſſet vindicare.

90 Atque hæc eſt illa tranſmiſſionis ſpecies, in qua præfatæ Deciſiones nobis tantum opitulantur, quamvis in altera, ne in minimò quidem noceant. Nihil utique in altera Tranſmiſſionis ſpecie nobis nocent præfatæ Deciſiones. Hæc namque *impropria* Tranſmiſſio ſterit, ut innuimus, pro ſimplici ratione denegatæ reverſionis, pro qua tantum agebat Duciſſa Maria, tanquam hæres Ducis Petri *Donantis*, & quæ ideo denegata fuit, quia in Donatione irrevocabili Bona libera remanent penes Donatarium *relative ad Donantem*: Id autem longè diſtat à caſu noſtro, quo ab hærede ejuſdem Ducis Petri tanquam ultimi Donatarii petitur tranſmiſſio illius juris, & ſpei ſuccedendi in Donatis Bonis, quæ poſt aliorum Donatariorum obitum ſine Filiis maſculis uſque à primo ſtipulationis momento eidem Duci Petro quæſita fuit: nec proindè ad hanc noſtram ſpeciem trahenda eſt præfata impropria Tranſmiſſio, nec nocere ullatenus poteſt Bonorum libertas, quam in diverſo caſu, relative ad Donantem, per rationis modum denegatæ reverſionis, in hæredibus Donatarii præfatæ Deciſiones conſiderarunt.

91 Pertinet tamen ad noſtrum Caſum *Tranſmiſſio propria*, eaque nobis tantum poteſt ſuffragari; Dum enim ſtatuunt præfatæ Deciſiones, hæredem ultimi capere debere donata Bona Tranſmiſſionis jure, eo prorſus modo, quo ejus Author capere potuiſſet vi compræhenſionis; non poterant hæc verba referri, ſicut contendit Pars Adverſa, ad hæredem Joannis Georgei, tamquam ultimi poſſeſſoris; quia Joannes Georgeus non fuit ultimus, ſed primus Donatarius, & cum antè ipſum nullus donata Bona poſſederit, nec etiam videri poteſt ultimus Poſſeſſor, pro ipſis præſertim Adverſariis, qui illa tantum poſſeſſione juvari poſſunt, quam Cardinalis Hyppolitus occupavit; Nec quoad hæredem Joannis Georgei verificatur, quod ille capere potuiſſet Bona, *jure tranſmiſſo*; quoniam, poſt quam ille Donationis Bona ſtatim vivus cæpit, & moriens reliquit, non jus, nec actio, ſed Bona ipſa ab eo tranſmitti debuerant: Et ubi demum ipſemet Joannes Georgeus, uti primus Donatarius eadem donata Bona vivus capere potuit in vim comprehenſionis; de ejus hæredibus loqui non videntur præfatæ Deciſiones, quando ajunt, ulterio-

rio-

riores hæredes, etiam non nominatos dònataBona capere poſſe tranſmiſſionis jure, eo modo, quo ſi extaret ulterius idem, & ultimus Donatarius vi compræhenſionis capere potuiſſet. Loquuntur tamen de hæredibus Petri, qui fuit ulterior, & ultimus Donatarius, & qui ſi extitiſſet, donata Bona capere potuiſſet vi compræhenſionis, & propterea dum ante ejus ſucceſſionis caſum occubuit, jus ipſum, & ſpem ſuccedendi in donatis Bonis ad ejus traſmiſit hæredes, qui traſmiſſionis jure donata Bona capere potuerunt.

92 Quod tamen in non hiſce ſolis Deciſionibus tunc primum declaravit Sacrum Rotæ Auditorium: Dudum ſanè hoc ipſum ſpecificè definivit in egregiis Deciſionibus *Romana Donationis coram Ubaldo deciſ.* 191., *&* 259. *in Recen* 142. *part.* 4. *tom.* 1., ubi donata Bona a Magdalena Urſinia addicuntur Paulo Æmilio Urſinio Filio, & hæredi Marii *primi Donatarii*, *ex tranſmiſſo per illum ſucceſſionis jure*; & denegantur hæredi Maximæ *primæ Donatariæ*, quamvis ante illam Marius *ultimus Donatarius* jam pridem occubuiſſet, & quamvis etiam in Inſtrumento Donationis cautum foret, ut *pars morientis cenſeretur donata ſuperviventi*.

93 Immò etiam ità ſemper ubique gentium fuit judicatum, quoties hæredes *ultimi Donatarij*, qui ante *primum* deceſſerit, contra illius hæredes donata Bona *Tranſmiſſionis jure* poſtularunt. Sic Regium Neapolis Conſilium denegavit donatum Latifundium Hæredibus Marii Taralli primi Donatarii, & conceſſit hęredibus Liviæ Sororis *ultimę Donatarii ex Tranſmiſſionis Jure*, quamvis illa Fratri Mario *primo Donatario* prædeceſſerit, ut refert elegans Capijcii *Deciſio* 2. *num.* 1., *& per tot.*. Sic SenatusCatalaunniæ Hæredes Joannis Angalada *primi Donatarij* a donatis Bonis ejecit, eaque addixit ex *tranſmiſſo ſucceſſionis jure* hæredibus Hyeronimi *ultimi Donatarii*; quamvis ille ante primum Donatarium Joannem abhumanis exceſſiſſet, ut teſtatur, qui in ea ſcripſitCauſa *Cancer. variar. reſolut. cap.*21. *numer.* 95., *& ſeqq. part.* 3. Sic demum omnia Europæ Tribunalia conſtantiſſimè judicarunt, ut alia probant exempla, quæ ne tædio ſimus, videri commodè poterunt apud ferè *omnes*, quos huc uſque retulimus. Nec proinde timendum eſt, quin nunc primum aliter a Sacro Auditorio judicandum ſit, quod, ob ejus perpetuam, & conſtantem voluntatem jus ſuum

cui-